



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Theologiae Moralis Super Decalogum Seu Decem Dei Praecepta Pars ...**

Tractatus I. Prooemialis De Principiis communibus Doctrinae Moralis,  
Conscientia, Actu Humano, Et Peccato In Genere

**Sporer, Patricius**

**Salisburgi, 1713**

Caput V. De Peccato mortali, & veniali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59488](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59488)

tum simplex Castitatis vel Religionis ingredien-  
 da; Matrimonium contrahas &c. Talis actus  
 est distinctum peccatum ab omissione, & ut di-  
 stinctum in Confessione fatendum. Quia enim fa-  
 cile contingere potest, ut homo pœnitentiã ductus  
 malam voluntatem omittendi opus debitum re-  
 vocet, & implere velit, nova, & distincta malitia  
 est ultra voluntatem omittendi, etiam se pro tau-  
 to tempore vel impotentem reddere ad imple-  
 dum opus debitum, etiam cum maximè volet, ut  
 cum aliis notat *Layman. cit. n. 4. III.* Si quis tem-  
 pore Sacri volens ludere, potare, venari, &c.  
 tam inordinatum affectum erga ejusmodi actus  
 gereret, ut ideò paratus sit legem Dei transgredi,  
 ejusque gratiã, & amicitia privari, distinctum &  
 gravissimum peccatum committeret contra Cha-  
 ritatem Dei: quia in eo actu ultimum finem con-  
 stitueret secundum omnes. Sed de hoc audies  
 cap. seq.



CAPUT V.

DE

PECCATO.

Mortali, & Veniali.

SUMMARIUM.

1. Peccata non sunt equalia.
2. Nec omnia mortalia.
3. Sed aliqua venialia tantum.
4. Etiam ex natura sua, non solum ex miseratione divina.

A a 5

ASSER-

## ASSERTIO I.

**P**eccata non sunt omnia equalia: nec omnia mortalia: sed aliqua venialia: etiam ex natura sua. Certa, & Orthodoxa doctrina: cupit brevis esto explicatio.

§. I.

**I** **P**eccata non sunt omnia equalia: nimirum in gravitate, quoad propriam malitiam, sed aliis graviora. Constat aperte ex Scriptura. *Thom. 4. Major effecta est iniquitas populi mei peccatorum Sodomorum.* Joan. 19. ait Christus ad Pilatum *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Rursumque significat *Matth. 5. infra citando.* Rursumque est; quia poena debet respondere gravitati peccati, sed utroque jure divino, & humano graviore poena punitur homicidium, quam furtum; adulterium, quam simplex fornicatio; convitium publicum in Imperatorem vel Papam, quam in civilem plebeium, &c. Nam quoad generalem rationem offensae Dei, aversionis à Deo, privationis divinae gratiae & beatitudinis, sine dubio omnia peccata mortalia sunt equalia. Quia minimum peccatum mortale aequè, ac maximum offendit Deum, avertit à Deo, privat gratiam & amicitiam divinam. Ad dignoscendum autem, quae peccata aliis graviora sint, accipe breviter has Regulas.

I. Peccata per se & intrinsecè mala, ceteris paribus, graviora sunt, quam peccata solum ex prohibitione legis mala. Illa enim naturalem deformitatem habent, contra rationem & ipsam legem.

legem naturalem: hæc non item, sed quoad substantiam bona sunt, vel indifferentia, ut comedere carnes die vetito.

II. Inter peccata per se, & intrinsecè mala, graviora sunt, quæ adversantur majori bono, seu objecto nobiliori. Sic peccata contra Deum, odium DEI, hæresis, Blasphemia, &c. longè graviora sunt, quàm peccata contra hominem. Et inter peccata contra hominem, gravius est homicidium, quàm detractio, vel furtum; quia majus est bonum vitæ, quàm bona externa famæ, & fortunæ.

III. Inter peccata ex prohibitione legis tantùm illa graviora sunt, quæ adversantur præcepto majoris momenti. v. g. Die festo præcipitur auditio Sacri omnibus, & simul certis personis custodia oppidi: gravius peccatum esset negligere custodiam civitatis, quàm negligere Sacrum: quia materia illius præcepti est majoris momenti, ad bonum commune, & gravius damnum evitandum.

IV. Universaliter, cæteris paribus, majus peccatum est, quod opponitur majori, seu nobiliori virtuti. Quare omnium gravissimum peccatum est odium DEI, quia oppositum excellentissimæ virtuti. Et furtum, vel detractio gravius est peccatò ebrietatis: quia illud opponitur Justitiæ, hoc Temperantiæ, quæ inferior est virtus, ut notat S. Thomas I. 2. q. 23. art. 4. Intellige semper per se, & ceteris paribus. Nam per accidens peccata inferioris speciei possunt esse graviora, quàm peccata superioris speciei. v. g. odium Dei, vel blas-

blasphemia ex subreptione, sine sufficienti delibe-  
ratione fit veniale, ideóq; minús peccatum, quám  
furtum deliberatum, vel detractio gravis. Et  
peccata sub genere intemperantiæ maxima, v. g.  
bestialitas, sodomia, sine dubio graviora sunt pec-  
catis sub genere Iustitiæ non maximis, ut ex com-  
muni notat *Laym. l. 1. tr. 3. c. 2. n. 4.*

## §. II.

**N**ec omnia mortalia. Esse peccata mortalia  
fide certissimum est. *Sap. 26. Homo per  
malitiam occidit animam suam. Ezech. 18. Anima,  
qua peccaverit, ipsa morietur. Rom. 6. Sola  
pendia peccati mors. Rom. 8. Si secundum car-  
nem vixeritis, moriemini. Gal. 5. latè ac aliè.*  
Ratio ergo à Scripturis petita est. Quia per pec-  
catum mortale intelligitur id, quod excludit  
gratia & amicitia divina & consequenter à beati-  
tudine æterna, mereturque pœnam æternam,  
ideóque dictum mortale, quod privet animam  
spirituali vitâ gratiæ & gloriæ, & inferat spiri-  
talem mortem culpæ & pœnæ æternæ: sed talia  
esse peccata apertissimè loquitur Scriptura, & ali-  
mis notum fidelibus; ergo.

## §. III.

**S**ed aliqua venialia. Non omnia peccata tan-  
tum infidelium, quàm fidelium esse mortalia, sed  
aliqua verè esse, & dici venialia, certum de Fide.  
*Concil. Trident. sess. 6. Can. 7. & 25.* Ratio ite-  
rum ex Scriptura petita est. Quia per peccatum  
veniale intelligitur id, quod ex sui levitate, nõ ex-  
cludit à gratia & beatitudine, sed stat cum gratia, & ali-  
quibus

justitia, & amicitia Dei, neque poenam meretur  
aeternam: sed dari ejusmodi peccata leviam eviden-  
ter constat ex sacris Litteris: Nam I. Justis etiam  
tribuuntur peccata. Prov. 20. *Quis potest dicere:  
mandatum est cor meum: peccatus sum a peccato.* Pro-  
verb. 24. *Septies in die cadit justus, & resurgit,  
impii autem corrueunt in malum.* 1. Joan. I. *Si di-  
xerimus, quia peccatum non habemus, veritas in  
nobis non est.* Jacob. 3. *In vulvis offendimus om-  
nes.* Joannes autem, & Jacobus sine dubio justii  
fuerunt. Denique ad omnem justum spectat o-  
rare: *Dimitte nobis debita nostra &c.* Atqui in  
justis non potest esse peccatum mortale, quod  
nullo modo potest stare cum justitia, & gratia di-  
vina: ergo. II. Christus Dominus in Evangelio  
sepius distinguit peccata gravia, & leviam, compa-  
rans camelo, & culici, Matt. 23. trabi, & festu-  
ca in oculo. Luc. 6. Sed expressius Matth. 6.  
*Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irasci-  
tur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem di-  
xerit fratri suo racha: reus erit concilio. Qui au-  
tem dixerit fatue: reus erit gehenna ignis.* Ubi Sal-  
vator expressè significat, aliquem per peccatum  
posse esse reum culpæ, & poenæ, non tamen simul  
gehennæ, seu damnationis æternæ: quod non  
competit, nisi peccato veniali. Rursus Matth.  
12. ait: *Qui autem dixerit blasphemiam contra  
Spiritus Sanctum, non remittitur ei neque in hoc  
saeculo, neque in futuro.* Ubi supponit Dominus  
aliqua peccata remitti in futuro saeculo: sed cer-  
tum est in futuro saeculo non posse remitti mor-  
talia:

talia: ergo intelligit venialia. III. Illustrissimum & invictum testimonium ponit Apostolus 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit: quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Sic Apostolus, apertissime ostendens fidei formatam in Christum superaedificari posse non tantum aurum, argentum, & lapides pretiosos, id est, opera justa & virtuosa: sed etiam lignum, fenum, stipulas, id est, peccata aliqua levia, utique non mortalia: ergo venialia, & temporalia tantum poenam eluenda: *Salvus erit: Sic tamen, quasi per ignem.* IV. Accedit consensus SS. Patrum: nominatim D. Hieronym. l. 2. contra Jovinian. D. Joan. Chrysostr. hom. 24. in Matt. D. Augustini Enchyridiic. 27. Ubi dicitur: *De quotidianis levibus peccatis, sine quibus vita non ducitur, quotidie fidelium oratio satisfacit: &c.* Plura vide apud Bellarminum. l. 1. de missione gratiae c. 13.

## §. IV.

4 **E**tiam ex natura sua: Et non tantum ex materia, sed & bonitate divina peccata venialia sunt. *Omnes Orthodoxi.* Ratio ex dictis patet.

Quia omnia peccata ex natura sua, vel sunt æquè digna damnatione æternâ, vel non: atqui non primum; si enim omnia peccata sunt æquè digna damnatione æternâ ex natura sua, cur per aliqua tantum pescata, & non per omnia destruitur Fides formata, justitia, gratia, & amicitia cum Deo: ut apertissimè docet Scriptura: Nec potest dici, ideo aliqua peccata non expellere justitiam, & gratiam Dei, quia Deus ex sua bonitate ea defacto non imputat ad pœnam æternam. Non enim ideo peccata sunt digna pœnâ æternâ, quia Deus illa imputat, vel vult punire pœnâ æternâ: sed contra, ideo illa Deus imputat, & vult punire pœnâ æternâ, quia sunt digna tali pœnâ æternâ, ita exigere ratione justitiæ suæ, adeoq; quæ defacto non punit pœnâ æternâ, ex se non sunt digna tali pœnâ æternâ. Ergò dicendum est Secundum, scilicet, non omnia peccata esse æquè digna pœnâ æternâ, sed venialia ex se, & natura sua. Vide *Bellarminum supra*. His ita pro fundamento suppositis, esto

SECTIO I.

*Peccati mortalis, & venialis definitio, & differentia.*

SUMMARIUM.

5. Peccati mortalis, & venialis differentia magis propria.
6. Eorum differentia ambigua.
7. Regule intrinsecæ ea inter se distinguendi.
8. Regule extrinsecæ ea distinguendi.

ASSERTIO II.

**P**eccatum mortale est defectus contra legem vel  
pra-

praeceptum, cuius observantia necessaria est simpliciter ad conservandam gratiam, & saluam finalem consequendam: Veniale vero est defectus contra legem vel praeceptum, cuius observantia simpliciter necessaria est, sed tantum secundum quid, ad melius, vel citius consequendam saluam finalem. Haec re ipsa coincidit cum aliis definitionibus, & differentiis communiter à Doctoribus assignatis, quibus prior videtur, & potius Explico.

## §. I.

*Peccati mortalis, & venialis differentia vera*

**P**eccatum mortale, & veniale communiter dicuntur differre in hoc, quòd mortale avertat à Deo ultimo fine simpliciter, veniale avertat non avertat, nisi secundum quid. Explicatur *suprà Assert. 2. per totam.*

II. Differre in hoc, quòd mortale simpliciter tollat Charitatem, quæ est conjunctio cum Deo ultimo fine: veniale verò non tollat, sed solum minuat Charitatem. Unde peccatum mortale dicitur mors animæ, veniale verò languor, & infirmitas tantum. Et hoc ipsum est dicere, quòd peccatum mortale simpliciter fit aversio à DEO, ultimo fine, quatenus nimirum ejus gratiam, & amicitiam, & conjunctionem per Charitatem omninò destruit: veniale verò non fit aversio à Deo ultimo fine simpliciter: quia illam conjunctionem non destruit, sed solum minuit, facit

do, ut homo minùs fervidè feratur in Deum ultimò finem per Charitatem.

III. Differre in hoc, quòd peccatum mortale fit contra præceptum, simul & finem præcepti, scilicet Charitatem, quam tollit; (*finis enim legis dilectio*) peccatum verò veniale fit quidem contra præceptum aliquod, non tamen contra finem præcepti, scilicet Charitatem, quia illam non tollit, licet ejus fervorem minuatur. Communis modus loquendi: sed, ut vides, omninò coincidens cum præcedentibus.

IV. Secundùm omnes differunt in reatu peccati: quòd nimirum peccatum mortale mereatur per se peenam æternam: veniale verò temporalem tantum. Atqui his omnibus prior, & potior videtur differentia à nobis *asserta*. Idè enim peccatum mortale meretur peenam æternam, quia est aversio simpliciter à Deo, quatenùs destruit Charitatem, seu conjunctionem cum Deo ultimo fine: & idè destruit Charitatem & conjunctionem illam cum DEO, quia est *contra legem vel præceptum, cujus observantia est simpliciter necessaria ad conservandam gratiam, & salutem finalem seu beatitudinem consequendam*: non sic peccatum veniale, uti positum in assertione.

§. II.

*Peccati mortalis & venialis differentia ambigua explicata.*

Dicuntur differre in hoc, quòd peccatum mortale fit contra præceptum, veniale verò contra consilium tantum. In rigore, accipiendò


consilium propriè, falsum est: alioquin nuberet esset peccatum veniale, contra Apostolum *1. Corinth. 7.* Sed verum in sano sensu, accipiètur consilium largè, pro omni eo, quòd non simpliciter necessarium, sed tamen valde utile est ad consequendam salutem finalem. Et sic omnino coincidit eum modis suprà positis. Atque ita ipsum explicat *Scotus in 2. disp. 21. quæst. 1.*

II. Differre in hoc, quòd peccatum mortale sit contra legem; veniale verò non sit contra, sed tantum præter legem. Sic loquuntur magni Doctores *D. Bonaventura, Alensis, alii.* In rigore etiam falsum est, cum nullum possit esse peccatum quòd non sit contra legem, vel præceptum aliquod: ut ex dictis constat. Verum tamen in sano sensu: intelligendo agere *contra legem*, esse idem ac agere *contra finem legis*, scilicet Charitatem; agere verò *præter legem*, esse idem, ac non agere contra finem legis, seu Charitatem. Et sic coincidit cum tertio modo *suprà num. præc. explicato.*

III. Differre in hoc, quòd peccatum mortale sit circa finem: veniale verò circa media tantum. Itidem in rigore falsum, & meritò refellitur a *Scoto l. 6. Vasquez disp. 143. c. 2. ac aliis.* Quæ licet omnia peccata circa finem, scilicet Deum directè commissa mortalia sint: multa tamen etiam peccata circa media, scilicet creaturas, commissa mortalia sunt, ut furta, homicidia, adulteria. At verum tamen in sano sensu supràposito; quæ nimirum peccata mortalia sint contra finem Deum, quia tollunt conjunctionem cum Deo ut voluit

mo fine per Charitatem: Venialia verò sint circa media ad hunc finem ordinata, quia scilicet minuunt fervorem Charitatis, hominem ad media perfectiora ac tutiora salutis capessenda, ac leves etiam defectus cavendos inclinantis.

IV. Denique constat apud omnes, peccatum mortale & veniale intrinsecè non necessariò differre specie: siye sumantur materialiter pro ipso actu peccaminoso; cum fine dubio idem specie actus possit esse modò peccatum mortale, modò veniale: siye sumantur formaliter, secundum rationem specificam malitiæ seu deformitatis contra virtutem vel legem: Sic enim furtum magnum est mortale, parvum veniale, etsi non tantum actus, sed etiam malitiæ sint ejusdem rationis contra eandem legem & virtutem Justitiæ: attamen rectè dicuntur specie, imò toto genere differre, extrinsecè & objectivè seu quoad objectum & effectum ultimum. Quia nimirum peccatum mortale avertit à DEO ut ultimo fine & infinito bono, eaque ratione est malitiæ quodammodò infinitæ, ut supra explicavi: & ideo quodammodò infinite distat à peccato veniali, quod non avertit à DEO simpliciter, sed solum secundum quid retardat. Item peccatum mortale est mors animæ: veniale levis infirmitas tantum. Vide *S. Thom.* 1. 2. *quest.* 72. *art.* 5. & *quest.* 78. *art.* 5. *quest.* 88. *art.* 2. & 6.



*Regula intrinseca distinguendi peccatum  
mortale & veniale.*

7 **O**Mne peccatum cedens in gravem DEL. la  
honoris & cultus DEO debiti injuriam mor-  
tale est. Ut sunt omnia peccata contra virtutes  
Theologicas, Fidem, Spem, Charitatem. Item  
contra Religionem, de quibus mox iterum *Seq.*

II. Omne peccatum graviter laedens Charita-  
tem & Justitiam erga proximum in bonis animi  
corporis, famæ, fortunæ: seu cedens in grave  
nocumentum spirituale vel temporale, mortale  
est: si leve nocumentum, veniale censeri debet.

III. Omne peccatum cedens in grave nocu-  
mentum salutis propriæ spiritualis, vel corporalis  
mortale est, ut peccata luxuriæ, & ebrietatis per-  
fectæ. At verò, seclusò gravi detrimento salutis  
spiritualis vel corporalis, omnia peccata com-  
missa contra proprium bonum per se venialia sunt.  
Ut inordinata dispositio bonorum temporalium  
prodiga profusio, negligens cura: aut nimia  
licitudo, tenacitas &c. nimia cura vel neglecta  
propriæ famæ & honoris, infamatio sui ipsius &c.  
Quæ tamen per accidens sæpè fieri mortalia, te-  
mis notum est. *Ex communi Azorij tom. 1.*

4. c. 9. q. 8. Sanchez l. 2. Moral. c. 24.  
IV. In his ipsis discernendis semper tria atten-  
denda sunt. 1. Natura actus peccati. 2. Materia  
peccati gravis, vel levis, tam ex objecto, quam ex  
sine, & circumstantiis. 3. Perfectio & imperio.

Actus. Quæ omnia latè exemplificabuntur in sequentibus.

§. IV.

*Regula extrinseca distinguendi peccatum mortale & veniale.*

**O**Mnia peccata contra præcepta divina in Decalogo, Evangelio, vel alibi expressa, in materia gravi mortalia sunt: in materia levi, si detur, venialia. Peccata verò contra Præcepta humana, tunc solum sunt mortalia, quando concurrunt & materia gravis, & intentio Legislatoris volentis obligare sub mortali. *Communis doctrina in materia de legibus.*

**II.** Quæcunque peccata dicuntur in sacris Literis *excludere a regno celorum: esse abominabilia, vel abominationem coram Deo: morte digna: aut adjunctam habent communicationem mortis, aut maledictionem expressam, vel implicitam, utpote cum dicitur: Væ talia agentibus &c. signum est, esse mortalia: Si autem mitioribus terminis utatur Scriptura, signum est, esse venialia tantum. E. g. Ephes. 5. Fornicatio autem, & omnis immunditia & avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, que ad rem non pertinent. Hoc enim scitate intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est Idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi & Dei. Ubi Apostolus non repetit, sed subicit stultiloquium & scurrilitatem, contentus dixisse supra: que ad rem non pertinent: scilicet vana, inordinata,*

nata, imperfecta esse: ideòque inter venialia computanda. At verò fornicationem, immunditiam, avaritiam, abominanda dixit, nec nominanda Sanctis, & excludere à regno Dei: ac proinde peccatis mortalibus accensenda.

III. Quando ex terminis præceptorum, & Scripturæ sacræ non constat de qualitate peccati mortalis, vel venialis, recurrendum est ad traditionem Ecclesiæ. Quidquid enim in Ecclesia Catholica communiter habetur pro peccato mortali, procul dubio pro tali habendum est. Quod enim cognoscimus, omittere Sacrum vel Hæreticum violare jejunium, communicare sine peccato Confessione peccati mortalis cogniti &c. etia mortalia. Econtra verò, quod communiter non habetur pro mortali, non necessariò confitendum, per orationem Dominicam, aquam benedictam, aliâque media satisfactoria expiari potest. Veniale censei debet. Quia nimirum Spiritus Sanctus Ecclesiam à se gubernatam, in re tam momenti salutem animarum concernente non potest errare.

IV. Si neque ex traditione Ecclesiæ certo constet, recurrendum est ad sententias SS. Patrum & Doctorum, qui in Ecclesia communiter Auctoritatem sortiti sunt. Juxta illud Malach. 2. *Levites*

*Sacerdotum custodiunt scientiam, & legem  
requirent ex ore  
ejus.*

SECTIO II.

Peccatum mortale ex genere suo fit veniale  
in individuo per accidens.

SUMMARIUM.

9. Quid fit mortale ex genere suo; & quid tale per accidens?
10. Peccatum alijs ex genere suo mortale, fit veniale. I. ex conscientia erronea
11. Ex causa excusante, v. g. ignorantia, necessitate, metu &c.
12. III. Ex imperfectione actus, debita scilicet advertentia in intellectu, vel consensu ex parte voluntatis. Et
13. IV. Ex parvitate, vel levitate materiae.
14. Regula I. In peccatis, quibus directe laeditur perfectio DEI infinita, aut bonum quodvis magnum indivisibiliter, non datur parvitas materiae.
15. Ut I. In peccatis contra virtutes Theologicas: Fidem, Spem, & Charitatem.
16. II. In peccatis contra virtutem Religionis, directe in Deum injuriam vergentibus, ut in superstitione, blasphemia, perjurio assertorio, sacrilegiis &c.
17. III. Nec in homicidio, & vix in mutilatione.
18. IV. Nec in materia venerea deliberate & directe intentata.
19. Bene vero in materia venerea indirecte tantum voluntaria admittenda est parvitas a mortali excusans.
20. Resolutio casuum communiter contingentium.
21. Regula II. In peccatis omnibus, quibus laeditur bonum finitum divisibile tantum, dari potest parvitas materiae a mortali excusans.
22. Ut I. In primo precepto Decalogi quoad superstitiones solum ex simplicitate, levitate, vel curiositate sine certa fide adhibita exccitas.
23. II. In secundo precepto, quoad violationem voti, & iuramenti promissorii.
24. In tertio precepto quoad celebrationem & auditionem Missae, ferias jejunia, & generaliter in omni cultu divino.

B b 4

25. IV.

25. IV. In praeceptis secunda tabule, quo ad lesionem personae in bonis fama, honoris, & fortuna.
26. Materiam in furto gradus absoluta respectu cuiusdam attam opulentissimi, sunt duo circiter ducati, respectiva vero ad conditiones personarum quantitas sufficiens ad victum unius dici.
27. Regula III. Quantitas materiae in omnibus peccatis (causis admittentibus) desumi debet ex tribus, 1. in ipsa re secundum se. 2. Ex comparatione ad totum quod praecipitur, & 3. maxime ex fine praeccepti.
28. Exemplificatur 1. in lectione, & 2. retentione librorum haereticorum 3. in percussione Clericis, & 4. in censuris ac casibus reservatis.
29. Regula IV Tertia, vel quarta pars cuiuscunque totius notabilis est, nisi ipsum totum sit exiguum; non tamen id minor quarta, nisi secundum se seorsum sumptum sit valde notabilis, vel officient fini praeccepti.
30. Exemplificatur: in Moris Canonici, 2. In Fecis, 3. In Jejunio, & 4. in Votis.

9 **P**eccatum mortale ex genere dicitur, quod ex proprio objecto suo, seclusa malitia exteriorius speciei est, vel potest esse mortale. Triplet assignari solet. I. Mortale ex objecto per se, quod scilicet ex ipso objecto secundum se habet intrinsecam malitiam mortalem, seclusa prohibitione legis. Ut blasphemia, adulterium, furtum. II. Mortale ex praeccepto, quod ideo solum mortale est, quia lege positivâ prohibetur, ut comedere carnes die Jejunii, omittere Sacrum, Confessionem, Communionem annuam &c. III. Mortale ex accidente vel circumstantia: quod, licet secundum se, neque ex objecto, neque ex praeccepto mortale sit, sed vel veniale, vel omnino indifferens, tamen ex accidente, vel circumstantia ali-

qua malitiam mortalem contrahit : quod qualiter  
fit, *Sect. seq.* dicitur. At hinc videndum, qualiter  
ipsum peccatum mortale ex genere suo, quodque,  
postis requisitis, etiam in individuo esse mortale,  
hic & nunc, defectu requisitorum, vel mutatione  
circumstantiæ alicujus, fiat veniale in individuo?

**A S S E R T I O III.**

*Peccatum mortale ex genere suo fit veniale in  
individuo potissimum quatuor modis: ex con-  
scientia erronea; ex causa excusante; ex imperfe-  
ctione actus, & parvitate materia.*

§. I.

*Ex Conscientia erronea.*

*Regula generalis.*

Quandocumque quis errore invincibili putat, 10  
peccatum aliquod esse veniale tantum, quod  
revera mortale est: v. g. perjurium assertorium  
in re levi, is solum venialiter delinquit. Quem-  
admodum & è contra invincibili errore putans  
aliquid esse mortale, quod revera solum veniale  
est, is re ipsa mortaliter peccat. Explicatum c. 1.  
Sect. 2.

§. II.

*Ex causa excusante.*

*Regula generalis.*

Quæcumque causa potens excusare à peccato  
in toto, in modico sui defectu excusat à  
mortali, & veniale constituit. *Ratio est:* Quia, spe-  
ctata humana fragilitate, in his moralibus difficil-  
limum est medium vel extremum tangere in pun-  
cto.

Bb 8

cto,

cto, & levem etiam defectum evitare, idcirco  
id hominem obligari sub mortali, ratio non pe-  
mittit. Exempla sint.

I. Ignorantia invincibilis excusat à toto pec-  
cato: hinc ignorantia vincibilis vel culpabilis levis  
seu non crassa vel affectata excusat à mortali. *De  
pra suo loco. c. 2. n. 37.*

II. Extrema necessitas omninò excusat à pec-  
cato furti: hinc necessitas valde gravis excusat  
saltem à mortali furtum rei tunc necessariae, ut  
ad victum, amictum, medicinam &c.

III. Necessitas propriae defensionis cum pec-  
fecto moderamine inculpatæ tutelæ omninò ex-  
cusat à peccato homicidium injusti invaluens  
hinc eadem necessitas cum levi, non supino vel se-  
fectato defectu dicti moderaminis simile homi-  
cidium excusat à mortali, secundum omnes.

IV. Metus gravis mortis, vel alterius gravis  
mi mali indirectè excusat à transgressione legum  
positivarum, ac etiam aliquarum naturalium, ut  
suo loco dictum: hinc metus ejusmodi mali  
adeò gravis meritò excusare debet à mortali. *De  
metu morbi gravioris omninò excusat ab ab-  
diendo Sacro, vel jejunio: metus autem mortis  
non ita gravis, vel gravioris cathari saltem excu-  
sabit à mortali, & venialem efficiet transgressio-  
nem. Item metu mortis vel mutilationis peccatum  
sine peccato furi, domum incensuro, scalas tenen-  
re: at si metu verberum tantum graviorum tenen-  
saltem excusaberis à mortali. Simili ratione dicitur  
etiam de quavis alia cooperatione materiali, &c.  
non proximam ad peccatum alterius.*

*Ex imperfectione actus.*

*Regula generalis.*

**O**Mne peccatum mortale ut sit, requirit ex 1<sup>a</sup> parte intellectus perfectam advertentiam & deliberationem: ex parte voluntatis vero plenum consensum; quorum unum si desit, & adsit solum imperfecta deliberatio, aut semiplenus consensus, peccatum veniale erit, ex imperfectione actus, utque in quacunque materia, lege, præcepto. *Certum apud omnes.* Ratio est. Quia ad peccatum mortale, quo homo simpliciter aversus à Deo æternam poenam mereatur, utique requiritur actus moralis perfectus, seu voluntarius ac liber simpliciter, qualis etiam posset esse meritorius vitæ æternæ: talis non est sine perfecta deliberatione, & pleno consensu: ergò. Deinde spectata humana fragilitate, à recta ratione & bonitate divina omnino alienum est, hominem velle æternis poenis addicere, qui sine plena deliberatione & consensu aliquid peccaminosum fecit. Cæterum

*1. Deliberatio plena & perfecta*

**D**icitur, quando intellectus plene, sine turbatione vel impedimento actum, ejusque malitiam agnoscit & dicitur, vel saltem dicitare potest ac deberet. Et tunc etiam consensus voluntatis plenus & perfectus esse solet, ac in materia mortali peccatum mortale, nisi aliunde constet de defectu consensûs.

*II. De*

II. *Deliberatio semiplena & imperfecta*

**D**icitur, quando ratio quidem aliquo modo advertit & apprehendit in consilio actum, ejusque malitiam & obligationem, non tamen plenè & resolutè judicat, vel dicitur, esse peccatum mortale, eo quòd motiva & rationes in utraque partem perfectè proponere & ponderare non possit: quòd melius explicari non potest, quòd experientia in semidormiente, semiebriò, distracto, vel turbato variis cogitationibus, vel passionibus, ut ad id, quòd agit, ejusque malitiam advertit plenè non possit. Et tunc etiam consensus voluntatis sublequens necessariò erit imperfectus & semiplenus: atque in materia mortali, etsi non tollat totum peccatum, cum omnis sanè qualitas que consensus in malum malus sit, tollit tamen peccatum in tanto, & veniale reddit fragilitati humanae, quæ licet potuerit simpliciter, tamen in eo statu difficulter admodum potuit tale malum committere.

III. *Deliberationes imperfecta signa, & conjectura.*

**I.** Si tenuiter, & quasi semidormiens apprehendisti aliquid esse malum, **II.** Si verè semidormiens, vel semiebrius fuisti, **III.** Si vehementissima passione, distractione, apprehensione turbatus fuisti, **IV.** Si post factum rem melius considerans, judices te omninò non fuisse facturum, si ita apprehendisses, vel cognovisses, si plenè vigilans, si sobrius, si mente pacata fuisses. Tunc enim

enim credere potes, te absque perfecta deliberatione & advertentia processisse, ideoque venialiter tantum deliquisse. Eadem consequenter generalia sunt signa imperfecti, & semipleni consensûs: cum deficiente deliberatione, necessarid deficiat consensus. At specialia.

*IV. Consensus semipleni conjectura & signa.*

*I.* Si ita dispositus fuisti, ut licet facile potueris exequi peccatum, tamen non sis executus: præsumere potes, te antè non plenè consensisse, quia affectus pleni non ita facile mutantur. *II.* Si statim reflectens te super priorem actum, sentis in te tristitiam, aversionem, horrorem aliquem, ob eandem rationem. Secus si complaceas, inhæreas, rumines &c. *III.* Si animum & propositum firmum, sæpius innovatum habeas nunquam peccandi mortaliter, aut malle mori potius, quàm peccare mortaliter, in dubio rectè præsumis, te non consensisse in peccatum. Nam quando aliquid ita firmiter odio habetur, si deinde plenè avertitur facile advertitur. *IV.* Deniq; in dubio non præsumitur consensisse vir timorata conscientia, aliisque peccatum abhorrens, quia in dubio non præsumitur factum, delictum maximè. Secus si sis homo perditis moribus. Hic enim cum bibat iniquitatem sicut aquam, cum dubitat, præsumere potest, se verè ebibisse.

§. IV.

*Ex parvitate vel levitate materia.*

*Regula generalis.*

**O**mnis peccatum mortale ut sit, ex parte ob-  
jecti

jecti requirit materiam gravem secundum se, vel ex fine, aut circumstantiis intentis. Quocumque ergo materia, tam secundum se, quam secundum finem ac circumstantias verè parva & levis est, cessat peccatum mortale, & fit veniale pro parvitate materiæ. *Omnes.* Ratio est. Quia materia prohibita parvi est momenti, mortale parva est offensio. Verùm hîc duo maximi momenti explicanda sunt. Unum, in quibus peccatis possit dari parvitas materiæ: alterum, unde desumenda sit. Pro re maximè practica, & ad usus morales latissimè patente, pono quatuor regulas casibus latè exemplificatas.

## REGULA PRIMA.

14 **N**ulla datur parvitas materiæ excusans à mortali in illis peccatis, quibus directe læditur perfectio Dei infinita, aut bonum quodvis magnum indivisibiliter. Verba hæc mea sunt, sed scilicet non fallor, omnium: ac Ratio est. Quia quocumque ratio gravis malitiæ vel offensæ contra legem rectam rationem, seu, ut alii non male dicunt, contra Charitatem Dei, vel proximi, æque peritur in materia parva, ac in magna, totientiam perstat culpa mortalis in materia quantumvis parva; ideoque non erit parvitas materiæ excusans à mortali: atque hoc tunc fit, quando directe læditur, vel offenditur perfectio Dei infinita, seu bonum quodvis magnum indivisibiliter, uti est vita hominis:

Ergo.

Nulli

Nulla datur parvitas materiae excusans à mortali.

*I. In peccatis contra Virtutes Theologicas,*

**F**idem, Spem, Charitatem, utpotè in infideli-<sup>18</sup> tate, desperatione, odio, aut contemptu Dei: quia hæc directè & actu elicitò lædunt, seu offendent perfectionem Dei infinitam. Quantulacunque enim infidelitas, & qualemcunque propositionem à Deo revelatam, etsi parvi momenti in se, nolle credere, repugnat infinitæ Dei veritati. Quantulacunque vera desperatio de Deo repugnat infinitæ Dei bonitati ac potentiæ. Quantulacunque odium Dei, etiam ratione rei levissimæ repugnat ejus simpliciter infinitæ bonitati. Quicumque etiam levissimus, dummodò deliberatus contemptus Dei, aut perfectionis divinæ, etiam indirectus, qualis est in formali inobedientia ex contemptu legis vel præcepti cujuscunque, in formali ingratitude ex contemptu beneficii divini, repugnat infinitæ DEI bonitati, sapientiæ, & quitati: ergò semper est malitiæ mortalis. Semper enim eadem malitia mortalis manet in qualibet etiam levissima materia: imò eò gravior evadit plerumque malitia, quò in minori materia læditur perfectio DEI infinita: ut si odieris, vel blasphemes Deum ob leve incommodum tibi eveniens v. g. lusum perditum, gravius censearis peccasse omni recta ratione, quàm si odisses, vel blasphemasses Deum ob ingens malum tibi commissum, ut omnes observant: & in similibus iterum

iterum notabitur. Neque solum odium Dei, verum etiam odium proximi quoad abominabilem personam semper peccatum mortale est, nulla excusante parvitate materiae, nisi sola imperfectione actus: semper enim eadem est ratio mortalis contra praeceptum Charitatis Divinae, & ipsam Bonitatem Divinam in proximo quoad naturam & gratiam participatam abominari, vel aversari proximum ex displicentia personae, tanquam indignum nostro amore vel amicitia, cum tamen & ipse nobiscum sit Imago Dei, capax gratiae Divinae & Beatitudinis aeternae. Sed magis est de odio proximi, quoad abominabilem qualitatis, quod indifferens est, & etiam bonum esse potest, Psal. 118. *Iniquos odio habui.* Sed etiam est de odio inimicitiae, seu malevolentiae, quo proximo deliberatè malum volumus: hoc enim licet ex genere suo peccatum mortale sit, tamen parvitatem materiae à mortali excusationem admittit, cum scilicet proximo leve & exiguum malum volumus, optamus vel gaudemus, quod etiam re ipsa illatum, non nisi veniale esse, ut alibi notabitur.

*11. In peccatis contra virtutem Religionis.*

**16** **Q**UAE nimirum directè vergunt in injuriam Dei, vel perfectionis divinae, nulla dante parvitate materiae excusans à mortali. Utpote 1. In superstitione divinationis, vanae observationis, magiae: &c. Semper enim gravis Dei injuria est, cultum Deo debitum tribuere diabolo divinitus

tis hosti ac æmulo, sive id fiat cum pacto expref-  
 so, de quo nullum dubium; sive fiat cum pacto  
 implicito cum dæmone, seu implicita dæmonis  
 invocatione tantum. Ut cum quis scienter utitur  
 mediis omninò vanis & impertinentibus ad cau-  
 sandum aliquem effectum, vel cognitionem oc-  
 cultorum vel futurorum. Eo ipso enim, quo ute-  
 ris ejusmodi mediis vanis & nullam omninò na-  
 turalem vim, vel proportionem habentibus ad  
 causandum talem effectum vel cognitionem, con-  
 vinceris invocare aliquam virtutem, & intelligen-  
 tiam superiorem homine: atqui non Deum, qui  
 talia prohibet: non Angelum sanctum, qui nolente  
 Deo nihil facit: ergo dæmonem, qui vel talia  
 instituit, vel talibus libenter se immiscet, ad de-  
 cipendum hominem, & cultum quasi divinum  
 sibi arrogandum in injuriam divinæ Majestatis.  
 Quod benè inculcandum illis, qui protestantur,  
 se talibus nolle uti ope dæmonis: est enim pro-  
 testatio facta contraria, & ideò vana ac nulla.  
 Nam tacita hæc invocatio, si plena deliberatio  
 adsit, est ejusdem rationis cum expressa: & quòd  
 in parva vel ludicra re dæmon invocetur, per se  
 non minus crimen est, quam si fiat in re magna.  
 Sæpe tamen contingit, ut quando res est modica,  
 non apprehendatur mali magnitudo, & sic potest  
 esse veniale ex defectu animadversionis; sicut e-  
 tiam ex ignorantia vel levitate actus, ut in Regula  
 sequenti videbimus. Vide Sanchez. *in Sum. tom. I.*  
*lib. 2. c. 38. n. 18. Lessium lib. 2. c. 44. dub. 4. n.*  
*26. & alios apud Dian. p. 5. tr. 5. resol. 29.*

II. In blasphemia formali : semper enim gravissima est injuria contra perfectionem Dei infinitam proferre verbum contumeliosum de Deo cum animo inhonorandi illum, sive directè, sive indirectè, & interpretativè, etiam in re minima Deus enim dehonoraatur non solum, cum blasphemus ei res magnas falsò tribuit, sed etiam cum minimas : ergò blasphemia in ratione materiae non potest unquam esse peccatum veniale. Communissima DD. cum *Suarez de Relig. tom. 1. tract. 3. lib. 1. c. 6. n. 2.* aliisque citatis *Diaz supra citatus resol. 3.* Addit *Lorca ibid.* id verum esse, etiamsi ejusmodi blasphemiae fiant joci caesà, & non seriò; quoniam illicitus est jocus, in quo injuria DEI involvitur : nec propter jocum deficit ratio injuriae: imò joci in rebus tantum menti specialis blasphemia est, nisi quis vocet eum, quod non ex animo significandi, quod verba sonant, profertur, sed per hyperbolem; ut qui faminam pulchram vocat Deam: id enim veniale erit. Sic *Lorca*. Sed de hoc mitiùs dicam in *Reg.*

III. In perjurio assertorio scienter falsum jurando cum vero animo invocandi testimonium divinum. Communis DD. apud citatos: semper enim gravissima, & mortalis est injuria, & irreverentia adversùs infinitam Dei Veracitatem, vel Deum instituire testem mendacii, ac falsitatis, ac si & ipse Deus mentiri, & falli posset: idque etiam in re minima; imò eò gravior censetur injuria, quò minori in re falsum juratur. Quin id ipsum

ipsum de juramento promissorio affirmant graves  
D.D. Cajetan. Medina, Gabriel. Less. Valentia,  
alii apud Dianam part. 5. tr. 5. resol. 70. Ratio  
corum est; quod etiam juramento promissorio  
non servato, etiam in re minima Deus constitua-  
tur testis falsitatis. Sed oppositum ex opposito  
fundamento iterum mitius dicam in Regula 2.

IV. In sacrilegiis plerisque non tantum carna-  
libus, & maxime in sollicitatione ad turpia facta  
in confessionali: nam si in materia venerea abso-  
lute non datur parvitas materiae, ut infra dicemus:  
multo minus datur, si conjuncta sit cum malitia  
sacrilegii: verum etiam in realibus plerisque: ut  
pote in simonia saltem juris divini; semper enim  
gravis Dei injuria est, rem proprie sacram, seu  
spiritualem, ut gratiam Dei, Sacramentorum ef-  
fectus, res ab Ecclesia consecratas temporali pre-  
tium dato, vel accepto, etiam minimo (imò eo  
graviori injuria, quò minori pretio) ipso facto  
vilem profiteri. Neque in irritatione Sacramen-  
torum: in fractione sigilli Sacramentalis: in jeju-  
tio naturali ad Evcharistiam suscipiendam præce-  
ptos enim valor Sacramentorum ad salutem ani-  
marum: secretum Confessionis auditæ, ne odio-  
sum fiat Sacramentum tam necessarium ad salu-  
tem: & reverentia augustissimi Evcharistiæ Sa-  
cramenti, ut tanquam cœlestis ac divinus cibus an-  
te omnem corporalem cibum, & potum suma-  
tur, bonum magnum est, & merito omne oppo-  
situm indivisibiliter excludens, eadē ratione ma-  
litæ

litia semper etiam in re levissima persistente, ad  
tem habitualiter, juxta dicenda infra num. 30.

*Quoad praecepta secunda tabula.*

**17** SOLUM de quinto & sexto potest esse quæ-  
S In quinto quoad ipsum homicidium, quod  
semper læditur bonum magnum indivisibile  
vitæ humanæ; utique nulla poterit dari parvitas  
materiae excusans à mortali: adeoque ut non  
lùm abortus foetus jam animati quocunque  
vissimo tempore, verum etiam nondum animatus  
peccatum mortale sit, secundum omnes  
quidem in veriori sententia omni casu, & inextinguibile  
sabiliter vix quoque contingit parvitas materiae  
in mutilatione, saltem prout in Jure intelligitur  
benè tamen in vulneratione, percussione, vindicta  
sicut & in aliis injuriis contra proximum, infra  
notabimus.

De sexto autem præcepto controversia gra-  
vissima est: non quidem quoad ipsum malum vitæ  
feminae per illicitas copulas, vel pollutiones; in  
his enim nullus, nisi insanus, vel fortè Epicurus  
de grege porcus somniavit materiae parvitas  
mortali excusantem: sed quoad delectationem  
lam veneream ex commotione spiritum genitalium  
in parte inferiori consurgente; & ad illam  
inductiva & dispositiva, ut sunt turpes cogitationes  
nes, aspectus, tactus, oscula, amplexus, lectiones,  
nes, lectiones, cantilenæ, &c. Nosti autem  
dubio eam delectationem veneream posse  
quando *directè*, aliquando verò *indirectè* tantum

esse volitam vel intentam : sit ergò clara, & distincta resolutio duplex.

III. In materia venerea directè voluntaria,

Non tantùm quoad ipsam copulam, pollutio-  
nem, distillationem, seu quamcunque voluntariam effusionem seminis illicitam, verùm etiam quoad delectationem veneream seu libidinolosam deliberatè, & directè intentam, quæsitam acceptatam, practicè nulla potest esse materiæ parvitas excusans à mortali. Adeoque omnis impudicitia cordis, oris, aspectûs, tactûs, oscula, amplexus, &c. facta causâ delectationis venereæ captandæ, sicut omnis in illam deliberatus consensus vel complacentia, semper est peccatum mortale. *Est in re communissima, & mihi planè certissima Doctrina: quam latissimè probat Rebel- lus de Justit. p. 2. l. 3. q. 19. Lessius l. 4. de Inst. c. 3. num. 119. Sanchez l. 5. Moral. c. 5. Layman. l. 4. tr. 5. c. 8. n. 2. Dian. p. 3. tr. 5. resol. 1. & alibi.* Ratio est. Quia omnis delectatio venerea & libidinosa naturâ suâ ordinatur ad copulam, seu seminationem, imò re ipsa, ut benè docet Galenus, est ipsissima inchoatio pollutionis: quid enim est, nisi motus humoris spermatici per spiritus generationi servientes incalescentis, & per certas arterias ad instrumentum generationis tendentis, &c. Ergò, sicut deliberatè velle copulam seu seminationem illicitam semper est peccatum mortale, ita etiam deliberatè velle eam delectationem, seu commotionem veneream in se, vel in alio  
C 3 sem-

semper erit peccatum mortale : & sicut in ipsa  
 copula, vel seminatione illicita ; ita & in ea delectatione vel commotione illicita per se ordinata  
 & inchoante seminationem illicitam nunquam  
 poterit esse parvitas materiae excusans à mortali  
 saltem practicè loquendo. Neque enim in peccato  
 audienda est distinctio *Caramuelis in Regul. S. B.*  
*nedicti disp. 69. & 70.* delectationem veneream  
 esse quidem peccatum mortale, quando polluitur  
 graviter, & proximè inchoata est, non item  
 pollutio solum leviter, tenuiter & remotè inchoata  
 sit. Est enim hoc speculativè defensus potest  
 fatear: practicè tamen nullo modo probari poterit  
 quod evidentissimū periculum in re tam lubrica, &  
 picea : hic enim verissimè & certissimè : *Qui tangit  
 picem, inquinabitur ab ea.* Etenim quantumvis  
 minima delectatio & commotio venerea natura  
 suâ tendens in majorem ac majorem, ac ipsam  
 copulam, & tam delectabiliter, voluntariè consentientem,  
 ac maximè excitantem, exponit proximo, & gravissimo  
 periculo consentiendi in majorem delectationem,  
 majusque peccatum carnale. Quâ etiam ratione *Sanchez l. 5. Moral. c. 12.*  
*retractat suam contrariam sententiam antea traditam l. 9. de Matrim. disp. 46. n. 7.* dicens  
*Quia in quavis delectatione venerea deliberatè  
 admissa apertum est periculum incidendi in majorem  
 aliam delectationem manifestè mortalem.*  
*Quare nec audeo, nec unquam ausus sum excipere  
 a confessionibus hujusmodi delectationem quantumvis  
 modicam declarationem. Hæc ille.* Quod ultra

ulterius eodem cit. c. 6. n. 12. ait: *unum tamen advertere volo, sententiam, quam lib. 6. de matrim. disp. 46. n. 7. dixi, esse verissimam, nempe amplexus, & oscula libidinoso, quamvis sola venerea delectatio, quæ in ipsis sentitur, placeat excluso alio ordine ad copulam, esse mortalia, & contrariam ab aliquibus appellari temerariam, & erroneam, hodie approbatam esse à summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. qui Inquisitoribus fidei denunciari jusserunt asserentem in illis non committi crimen lethale.* Hæc Sanchez, dicens hodie, suo tempore: at hodie nostro tempore sententia nostra omninò certa evadit ex Decreto Alexandri VII. Anno 1666. in propositionibus damnatis doceri, & practicari prohibitis, quarum quadragesima sic habet: *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, excluso periculo consensûs ulterioris, & pollutionis.* Ubi sine dubio ad minimum sermo est de delectatione carnali venerea ex tali osculo directe intentâ, captatâ, vel admisâ. Vide sæpiùs laudatum Nicolaum Dubois in Examine dictarum propositionum à propositione 40.

Atque dicto sensu intelligendi sunt Doctores omnes in hac materia absolutè negantes materiæ parvitatem. Loquuntur enim semper de actibus venereis libidinosis, & impudicis: sive ex objecto, ut tactus partium verecundarum, quæ peccata mortalia sunt, etsi delectatio venerea per se directè non intenderetur, quia naturâ suâ nimium ad libi-

bídinem provocant : & graviora peccata sunt, si  
fiant circa personas ejusdem sexús, quam directè  
quia tunc ad gravius peccatum disponunt, ut no-  
tat Sanchez l. 9. de Matrim. disp. 46. n. 18. Sed  
ex intentione agentis, captantis scilicet directè  
delectationem veneream circa quascunque par-  
fiant, etiam alias honestas. Ut tactus facie,  
compressio manuum, pulsatio pedum, &c. Et  
tunc tanta sunt peccata, quanta est intentio faci-  
entis, utpote simplicis delectationis morosæ, for-  
nicationis, adulterii, sodomix, &c.

*IV. In materia venerea indirectè tantum  
voluntaria.*

19 **A**dmittenda est parvitas materiæ excolari  
mortali quoad impudicitiam, & delectationem  
veneream minimè directè intentam, sed  
directè solum voluntariam, in causa levi polu-  
tione vel non ablata, secluso consensu vel periculo con-  
sensûs in ipsam delectationem, pollutionem, &  
aliudve opus turpe. Ita præter Doctores illos, qui  
absolutè hic admittunt parvitatem materiæ, &  
fortè nihil aliud volunt (excepto Caramueli ma-  
nifesto adversario) expressè docet Vasquez l. 1.  
disp. 108. asserens, hac de re nullam fuisse contro-  
versiam, cum Doctores contrarium communiter  
asserentes, loquantur de delectatione venerea di-  
rectè intentata vel voluta. Item Jacob. Marchant  
resolut. Pastoral. part. 1. cap. 6. quasi. 6. et in  
parte noster P. Marchant. Tribun. tom. 2. Tract.  
7. titul. 3. quasi. 2. §. 8. dub. 1. resolut. 2. in fine.  
Ratio

Ratio est. Quia valde rationabile, & consonum est fragilitati humanæ, quod homo sub peccato mortali non teneatur evitare omnem actionem levem, ex qua est periculum exurgendi aliquos motus delectationis venereæ: & cum hi motus longè facillimè exurgant, ut sint mortales, omninò requiri debet majus voluntarium, quàm indirectum, & virtuale in causa maximè levi, & de se veniali tantùm. Alioquin certè oporteret condemnare peccati mortalis omnem conversationem non necessariam virorum cum fœminis, juvenum cum puellis, colloquia familiaria, choreas, aliasque recreationes etiam honestas, cum in iis facillimè intercurrant aspectus blandi, verba lenia, tactus, oscula, amplexus, & alia hujusmodi venialia, ex quibus plerumque oriuntur motus aliqui venerei, quos tamen secluso consensu, vel periculo consensûs, unâ cum veniali causa sua meritò censemus veniales: quemadmodum & alia, quæ remotè tantùm disponunt ad alia peccata mortalia, ut litigium ad homicidium, haustus superfluus ad ebrietatem, venialia tantùm meritò censentur. Neque huic sententiæ contrariatur supra allegatum Decretum Alexandri VII. Nam propositio illa 40. damnata manifestè loquitur de delectatione carnali sensibili, utique venerea ex illis osculis orta, & directè volita cum consensu in illam, ut constat ex illis verbis: *absque periculo consensûs ulterioris* (nimirum in fornicationem, aliudve opus turpe) *& pollutionis*: ergo supponitur jam consensus in ipsammet delectationem

Cc 5

nem

nem carnalem, seu veneream ex illis osculis et  
tam, qui utique mortalis est, juxta supra dicta  
ita quidem non meo solius judicio, sed plurimorum  
Virorum doctorum requisit o consilio sentio, debet  
semper Authoritate S. Sedis.

REGULA ergò à Doctoribus communiter  
assignata, & recepta de ipsa pollutione indirecte  
voluntaria vel causata, etiam à fortiori locum ha-  
bere debet in delectatione venerea indirecte tan-  
tùm voluntaria: nimirum: *Quando causa potest  
est licita, vel venialiter tantùm mala, etiam de  
lectatio venerea præter intentionem subsurgens  
culpata, vel venialis tantùm culpa erit.* Omnia  
ergo culpa vacabunt aspectus, tactus, oscula, am-  
plexus aut *honestatis* pro more patriæ: aut *necessi-  
tatis*, ad medendum, naturam sublevandam, &c.  
Venialem verò solùm culpam continent aspec-  
tus, tactus, oscula, amplexus, aut *levitatis* vel  
*curiositatis* tantùm gratiâ obiter facti, aut etiam  
causâ *sensibilis voluntatis* captandæ: quando ni-  
mirum quis in aspectu fœminæ, tactu manû, os-  
sculo faciei, directe quærit delectationem sensibi-  
ilem consurgentem ex naturali proportione po-  
tentia visiva, vel tactiva ad objectum convenienter  
delectabile, absque ulteriori voluntaria tendenti-  
a in delectationem veneream, etsi præter intencio-  
nem subsequatur. Quia nimirum, ejusmodi de-  
lectatio sensibilis captata per se solùm continet  
venialem abusum rei per se non malæ, & per acci-  
dens, ac remotè tantùm disponit ad voluptatem  
carnalem: ideòque spectare debet ad parvitatem

materiae in hoc genere peccati, & venialem culpam non excedere, Sanè difficillimum foret Confessario statim peccati mortalis condemnare juvenes, & procos passim a liquibus tactibus, osculis, amplexibus utentes erga puellas honestè amatas, etsi inde aliquam voluptatem sensibilem capent, dummodò absit periculum consensûs in venerea. Et longè difficiliùs foret talibus, si similibus abstinere nollent, denegare absolutio- nem. Ex dictis ergo sequitur probabilis

RESOLUTIO casuum communiter contin-20  
gentium. I. Oscula inter omninò solutos obi-  
ter facta, venialia sunt, etsi sensibilis aliqua vo-  
luptas capteretur, seclusâ delectatione, & consensu  
turpi. At verò facta cum ardore & mora, utpote  
replicatis diu in ore osculis, ob morale periculum  
libidinis, ordinariè mortalem culpam contrahunt.  
*Communis.* II. Osculari pueros ex amore tene-  
re infantilis aetatis, aut tangere, captando dele-  
ctionem sensibilem ex molliè teneræ carnis, se-  
cluso consensu turpi, nullum, vel veniale tantùm  
peccatum est. *Sanct. Jac. Marthan, cist.* III.  
Ancillæ pueros vestientes, lavantes, eorùmque  
putenda tangentes, vel aspicientes, etsi motus  
sensualis exurgat, secluso consensu, vel compla-  
centia turpi, aut non peccant, si ita officium exi-  
gat; aut solum venialiter, si ex curiositate faciant:  
mortaliter autem peccarent, si id morosè facerent,  
ob morale periculum consensûs libidinosi. IV.  
Aspicere animalia coeuntia ex curiositate tantùm,  
seclusâ delectatione libidinosâ voluntariâ, veniale  
est.

est. Quia id non multum excitare solet ad libidinem. Communis apud citatos, & mox citatos. Insuper eadem animalia, minora præsertim, ut catellos, catos, molliter tractare, demolere, etiam eorum genitalia contrectare (res sane pudicitia, & castitatis amatoribus merito fugiendæ, ex curiositate tantum vel levitate, nullâ comperta impurâ delectatione, cum inde non exciteur tantum vehemens delectatio, non nisi veniale esse docent Sanch. lib. 9. de Matr. disp. 46. n. 15. Dian. p. 17. resol. 37. addens, adhuc quidpiam foedius non esse mortale ita fricare, ut brutum semen expelleret, ex curiositate illud videndi, cum non sit mortale, impedire generationem bruti, sicut ipsum occidere; brutorum enim Domini sumus, sed certè omnium sensu foedum est cogitare, necdum facere: vide ipsum, & Tambur. l. 7. Decal. c. 5. 2. n. 5. At verò affectu libidinoso tangere eorum membra, non tantum mortale est, sed etiam spectat ad peccatum bestialitatis, tanquam actus quidam inchoatus. V. Personæ ejusdem sexus in balneantes, natantes, &c. ex curiositate vel levitate invicem, etiam in partibus verecundis, aspicientes, etiam cum motu sensualitatis, seculo consensu turpi, non sunt condemnandi peccati mortalis. Secus est de personis diversi sexus: turpi enim est morale periculum libidinis. Se ipsum autem aspicere vel tangere ex curiositate vel levitate, seclusâ intentione, complacentiâ vel consensu turpi, ordinariè veniale est: quia minor est indecentia, & minus movent ad turpia

propria, quàm aliena. Si verò necessitas aliqua, vel naturæ commoditas ita exigat, culpâ vacabit, secundum omnes. VI. Choreas ducere, etsi aspectibus, tactibus, osculis, amplexibus solitis delectatio sensibilis captetur, seclusâ semper intentione vel consensu turpi, vel nullum, vel veniale tantum peccatum est. Cajetanus V. *Chorea*. Filiius Tr. 33. c. 10. ubi n. 224. dicit: *Rustici diebus festis non sunt prohibendi à choreis, modò fiant post Missam: tum quia aliter otio vacarent, quod peius esset: tum quia fiant pro more regionis, & publicè coram aliis, ideòque magna ex parte auferitur libidinis occasio: tum quia videntur conciliatrices amoris, & benevolentie inter adolescenti, & puellas in ordine ad matrimonia.* Hæc ille. Adde ego experientiâ patuisse, post abrogatas illas choreas publicas multò majora mala patrata fuisse, quàm iis permissis. VII. Cantare, dicere, legere turpia, peccatum est juxta intentionem facientis. Si enim fiant cum intentione vel complacentia turpi, mortalem; si ex curiositate, vel levitate solùm, venialem culpam habent. At verò componentes cantiones & libros turpes ordinariè mortaliter peccant, ob scandalum, saltem aliorum: quemadmodum etiam comœdias turpes exhibentes. VIII. Denique scribere, mittere litteras amatorias, munera, favores, ut vocant, similiter peccatum est juxta intentionem facientis. Si enim faciunt ex intentione libidinosa vel animo provocandi alterum ad illicitam venerem, mortale erit: si ex sola levitate, joco, recreatione,

venia-

veniale per se loquendo: si ad captandum vel vendendum honestum amorem in ordine ad Matrimonium, culpâ vacabit. Intellige semper per se loquendo, & secluso periculo proprio vel alieno: aut nisi scriptio, pictura, &c. de se valde turpis esset, & ad libidinem provocatoria. Hæc tibi hic latius deducere volui, quia in praxi sunt frequentissima. Et latius videre potes in 4. part. m. Theol. Sacram. c. 3. per totum.

## Regula Secunda.

21 **N**omnibus peccatis, quibus læditur bonum finitum divisibile tantum, potest dari parvitas materiae excensans à mortali. Ratio est: Quia quando bonum, quod læditur, est divisibile potest esse majus vel minus, etiam malitia peccati proportionaliter crescere, & decrescere, & consequenter quandoque unâ cum materia adeò decrescere poterit, ac minui, ut amplius mortalis, atque æternâ poenâ digna censerî non possit, ut patet in furto unius assis. Habet ergo Regula locum in omnibus peccatis contra præcepta secundæ tabulæ circa proximum, & seipsum (homicidio & luxuriâ voluntariâ jam exceptis) ut in percussione, furto, detractatione, intemperantia, &c. & intuper in præceptis primæ tabulæ circa cultum divinum: quia nimirum omnis noster cultus divinus bonum quoddam finitum est, magnum quidem, sed divisibiliter majus, vel minus, proportionem materiæ, ideòque etiam malitia peccati oppositi major aut minor, & quandoque sic mortalia esse poterit, ut amplius mortalis esse non possit.

lit. Jam exempla præsertim nonnihil contro-  
versa visa afferamus.

I. In primo præcepto Decalogi.

Quoad superstitiones magicas, nulla quidem  
propriè datur parvitas materiæ, ut *num. 16.*  
dictum: datur tamen aliqua (ut sic vocem) levi-  
tas actus excusans à mortali. Utpote I. Si fiant  
ex simplicitate vel ignorantia, etiam vincibili non  
crassa. Fateor me sæpius usum fuisse motu glo-  
buli plumbei, vel aurei annuli è filo inter extre-  
mos digitos sustentato pendentis, & ad latera va-  
sis allisi pro indicio horarum, certo semper even-  
tu: sed bonâ fide in simplicitate mea. Credidi  
enim id fieri naturaliter virtute arteriæ pulsûs: &  
adhuc in ea opinione hæreo quoad motum secun-  
dum se, ejusque successiva incrementa, & conse-  
quenter aliquam allisionem: at verò quoad alli-  
sionum differentias ad distinctam designationem  
horarum, superstitiosum esse, omninò persuasit  
experientia. *Card. de Lugo apud Tambur. l. 2. in  
Decal. c. 6. §. 1. n. 38.* Aliis ergo, maximè illis,  
quibus ut idem experirentur, imprudens auctor  
sum, jam Pœnitens dissuadeo. II. Si quis utatur  
ejusmodi signis solum ex levitate, joci, vel risûs  
causâ nullo expectato eventu: qualia multa joco-  
sa fieri solent in quibusdam sacris Vigiliis, sanè non  
commendanda, sed certè neque peccati mortalis  
statim condemnanda: quia tunc non est vera su-  
persticio, esto enim signa illa sint instituta à dæ-  
mone, si tamen joco, & non seriò expectando  
even-

eventum, usurpes, irrisio potius est, quam invocatio dæmonis. III. Si quis utatur signo vel medio superstitioso habito ex sola curiositate experienti causâ: v. g. semel aut iterum facient annulum moveri super filum, aut allidi ad lacerationem vasis, &c. ut etiam fatetur Sanch. l. 2. Moral. 40. n. 13. in fine. Ratio est eadem, quæ supra IV. Absque certa fide adhibita, ex vana solitudine in agendis, vel cavendis, quandoque conservare ejusmodi vana signa vel omina, v. g. stertitatione, auris tinnitu, cantu corvi, occusum vulturis vel leporis, &c. item ex somniis, porumque venialem culpam non excedit, ut etiam aliis notat Layman. l. 4. tr. 10. c. 3. n. 10. placet judicium Suarez tom. 1. de Reliq. l. 2. de superstitione c. 13. n. 25. Ubi loquens de hac superstitione ita habet: *Potest hoc peccatum credentium in somniis à gravitate mortali excusari, quando homo non omnino credit rem in somnio visam esse veram, seu futuram, & nihilominus aliquid operatur ratione talis somni, quod aliud malum non est, nec contra præcepta Dei, vel Ecclesiæ sic ( & ita non potest obesse, potest autem prædesse, ut evitet aliquod malum, quod somnium minatur, vel quid simile. Tunc enim licet sit aliqua levitas, vel simplicitas, aut nimia timiditas, non apparet gravis malitia: quia ille non tam credit illud à Deo, vel esse verum, quam posse esse, in quo minus erroris est, licet multum sit vanitatis. Verò si quis ita sit observator somniorum, ut certè nariè per illas indicationes vel divinationes in*

gravis negotiis gubernetur, non potest excusari à gravi culpa & superstitione. Hæc ille. Idem iudicium est de aliis ejusdem vanis observantiis.

11. In secundo Præcepto Decalogi.

**D**atur parvitas materiæ in violatione voti; nec solum quando materia parva est tantum partialis materia voti; ut, si ex voto recitans Rosarium, omittas aliquot *Ave Maria*, vel Decadem unam, in quo omnes consentiunt: sed etiam, quando materia parva est tota materia voti; ut si vovisses quotidie recitare unum, vel tria *Pater & Ave*, aut flectere genua coram tali *S. Imaginè*, &c. & omittas, toties, quoties, non erit, nisi veniale ex parvitate materiæ. Uti contra *Cajetan. Tolet. Armill. & alios*, docent Doctores communiter. *Navar. c. 12. n. 4. Sanchez l. 4. c. 12. n. 6. Layman. l. 4. tom. 4. c. 3. num. 2.* alii apud ipsos. Ratio est. Quia votum est privata quædam lex, & obligat per modum legis: sed respectu legis materia tam parva non est capax obligationis tam gravis sub mortali: ergo neque respectu voti.

II. Datur etiam parvitas materiæ in violatione Juramenti promissorii excusans à mortali, ut si Pater serio juravit filium ita meritum virgis castigaturum, & sine causa revocet vel omittat: si jurando promissisti amico ejus convivium accedere, &c. Sic contra *Cajetan. Gabriel. Valent. Lessium, & alios* probabilius docent *S. Antonin. Sotus. Sylvest. Navarr. Rodriq. Suar. alii cum Sanchez*

chez l. 3. Moral. c. 4. n. 13. Laym. l. 4. c. 14. n. 1.  
 Ratio est. Quia quodcumque peccatum ra-  
 tione materiae augeri & minui potest, tunc in  
 genere etiam venialiter peccari potest: at qui com-  
 munitatis hominum etiam prudentium persuasio est,  
 tantò majorem vel minorem irreverentiam Deo  
 irrogari, quantò major vel minor promissio Deo  
 jurata violatur, seu quantò major vel minor  
 est, ad quam confirmandam quis Dei auctoritas  
 usus est, si postea non agat, quod promiserat: re-  
 go hinc etiam venialiter peccari potest ex parvitate  
 materiae, ut in exemplis allatis, & similibus. *Con-*  
*firmitur.* Quia major est obligatio voti, seu pro-  
 missionis factae ipsi Deo, quam juramenti pro-  
 missorii, seu promissionis factae homini, interpo-  
 sito nomine, & auctoritate Dei: atqui in vio-  
 latione voti datur parvitas materiae excusans a mor-  
 tali, secundum omnes: ergo etiam in violatione  
 juramenti promissorii.

III. Notanda hinc est disparitas inter jurame-  
 tum assertorium de veritate rei, & promissorium  
 de facienda re. Quia juramento assertorio  
 vocatur Deus in testem veritatis, & falsitas  
 vocatur Deus in testem veritatis, aut falsitatis  
 ritas autem, & falsitas consistunt in indivisibili-  
 quod enim verum non est, necessario falsum est,  
 nec datur magis vel minus falsum: ideòque Deus  
 invocare in testem falsitatis cujuscunque semper  
 est peccatum mortale (quod non tantum verum  
 est in perjurio assertorio, quo scienter juratur fal-  
 sum, sed etiam in perjurio promissorio ficto, cum  
 quis juramento promittit aliquid facere, quod  
 non facit.)

...is leve, non habens animum seu voluntatem  
 ...entem promittendi vel adimplendi. At ve-  
 ... in juramento promissorio non invocatur Deus  
 ... testem ipsius veritatis vel falsitatis, sed solum  
 ... in sponsorem obligationis adimplendi rem  
 ... missam cum juramento, adeo ut objectum ju-  
 ... menti promissorii non sit veritas vel falsitas, sed  
 ... obligatio jurantis ad rem promissam adimple-  
 ... am: atqui obligatio ad rem promissam adim-  
 ... plendam non consistit in indivisibili, sed major  
 ... vel minor est, juxta rationem materiae majoris vel  
 ... minoris momenti; consequenter etiam violatio  
 ... talis juramenti promissorii majoris vel minoris  
 ... culpa erit, pro ratione materiae: ergo non semper  
 ... mortale, sed ex parvitate materiae etiam veniale  
 ... esse poterit.

IV. Incidenter pro praxi hic observa. Homi-  
 ... nes simplices, & rusticanos coniungere vulgari  
 ... nomate, *schweren / scheitern / fluchen*. 1. jurare.  
 ... 2. blasphemare. 3. maledicere vel imprecari  
 ... significat. Ad hæc ergo discernenda, Confessa-  
 ... tus imprimis petere debet, quibus verbis Pæni-  
 ... tus usus sit: deinde compertò, quòd sint verba  
 ... juramentum sonantia, quærendum, an habuerit  
 ... veram intentionem jurandi, vel Deum in testem  
 ... invocandi? & hoc compertò denique interrogan-  
 ... tus est, an verum vel falsum jurârit? Si dicat, ve-  
 ... rum jurâsse, vix unquam condemnandus est pec-  
 ... catis mortalis: sin fateatur, falsum jurâsse, per se  
 ... censendus est, peccâsse mortaliter, nisi excuset im-  
 ... perfectio actûs, inadvertentia, præcipitantia, id-



que maximè in mercatoribus, præsertim, cum pe-  
rare solent *tanti, vel pluris sibi mercem constare*,  
&c. Ubi plerumque non verè pejerant, cum  
possit habere verum sensum: videlicet: tantum  
pluris sibi constare, æstimato simul labore, pec-  
culo, &c. De quo subintelligendo instru-  
unt, si omninò consuetudinem jurandi deponere  
nequeant. De qua quidem consuetudine  
*fract. 7.*

*III. In tertio Præcepto Decalogi.*

24 **Q**Uoad celebrationem, & auditionem Missæ,  
ferias, jejuniâ, præcepta, vel votivâ, &c. ge-  
neraliter in omni cultu divino datur parvitas ma-  
teriam excusans à mortali. *Certum apud omnes*  
Ratio in Regula datâ est. Exempla obvia sunt.  
I. Veniale est die festo in Missâ audiendâ mo-  
dicam partem, præsertim in principio, aut fine  
omittere, de quo *Regula quarta*: modico tempore  
re distrahi, confabulari, &c. modico tempore  
laborare serviliter circa necessitatem vel causam  
justam. Omninò excusandi sunt pauperes, præ-  
sertim ancillæ, cum die festo unâ, aut alterâ horâ  
vestes resarciunt: item Mechanici, factores, &c.  
cum quadam consuetudine, die festo  
materiam sequentibus diebus elaborandam, seu  
magno labore vel tumultu præparant: item bar-  
bæ tonsores, si die festo unum, aut alterum die-  
deant præsertim rusticos, quibus aliis diebus  
otium non est, &c.

II. Veniale est in Miſſa. Horis, Oratione, ac quolibet cultu divino modico tempore voluntarie diſtrahi: modicum quid omittere, v. g. *Gloria*, vel *Credo* in Miſſa; *Preces* in Horis, &c. vel quid ſimile, quod tamen non ſpectet ad eſſentialem actionem Sacramenti. In Conſecratione Eucharistiæ omittere ly ENIM ex incuria, vel etiam materiali contemptu, tanquam materiæ non magni momenti, veniale non excedere cenſet *Sotus* apud *Tamburin. opusc. De Sacrificio Miſſæ l. 2.*

¶ 1. §. 2. At verò omittere admixtionem aquæ ad vinum conſecrandum mortale agnoſcunt Doctores communiter. Grave enim eſt præceptum Eccleſiæ ratione finis, ſcilicet Myſterii ſingularis.

III. Quin etiam omnis cultus Dei ſuperfluus, ſeu indebitus, ſive is, quo Deus colitur modo vel ceremoniâ, quæ de ſe prorsus eſt inanis, atque impertinens ad gloriam Dei, vel devotionis ſpiritum excitandum: ut non nere die Sabbathi in honorem B. V. Mariæ, cùm tamen aliàs ſerviliter labores: Miſſam audire à Sacerdote, qui vocetur Joannes, certo candelarum numero, colore, &c. ſive is, qui contra vel præter ordinationem Eccleſiæ exercetur, ut in officio vel Sacrificio Miſſæ dicere plura *Alleluja*, facere plures *Cruces*, quàm præſcriptum ſit; dicere *Gloria* vel *Credo*, cùm omittendum eſſet, osculandum Altare præſignare *Cruce*, osculari pedem calicis elevati, & ſimilia, quæ ſuperflua, & inordinata devotio excogitat, ſecus à ſpeciali gravi prohibitione, ſcandalo, contemptu, venialem culpam non excedit. Quia

non est in iis gravis deformitas contra honorem  
& cultum DEI, eaque, si qua est, bonâ intentione  
vel simplicitate ita colentis minuitur. *Comment.*  
*Navarr. cap. 12. n. 24. Lessius lib. 1. c. 34. n. 1.*  
*Sanchez, Layman, alii.*

IV. In Sacrilegiis etiam realibus vel vocalibus  
parvitatē materiæ agnoscunt omnes: cum, &  
ipsa sanctitas rei vel loci sacri bonum divisibile  
majus vel minus pro ratione materiæ: ideoque  
quoties materia levis vel venialis esset contra  
aliam virtutem, v. g. justitiam, certè etiam in ra-  
tione sacrilegii contra virtutem Religionis venia-  
lem culpam excedere non debet. Ut furtum mo-  
dicum rei sacræ, vel è loco sacro solida etiam  
veniale est. Idemque est de quavis levi in Sacris  
irreverentia: idemque de quibusdam blasphemis  
quasi materialibus & jocosis: ut est levis abusus  
vel jocosus usus sententiarum sacræ scripturæ  
mi causâ: jocosâ quædam dictoria de quibus-  
dam Sanctis ut homines sunt, ut de S. Petro, Cri-  
spino, &c. Audivi à viris Doctis etiam excusari  
jocosum illud dictum: *Stultus es*, etiam si DEUM  
Patrem haberes. Similiter dicendum de similibus  
innumeris. Videntur enim velle dicere, quod  
DEUS possit creare stultum, & sic talis non oblati-  
te, quod solum DEUM Patrem haberet, alioquin  
esset stultus: aut saltem accipiunt DEUM improprie,  
& metaphoricè, ac si dicant: *stultus es*, etiam si  
sapiensissimum, & quasi divinum Patrem  
haberes; alioquin in proprio sensu comparando  
DEUM, ejusque Filium Divinum, blasphemiam  
con-

contineret horribilissimam: quare dictum illud  
velut pessimè sonans meritò graviter reprehenden-  
dum, & dissuadendum est à Confessariis.

IV. In Præceptis secunda Tabula.

In his versantibus potissimum circa injustam  
lesionem proximi ( homicidio, & materiã  
venereã jam supra exceptis ) quoad alias lesiones  
proximi in bonis famæ, honoris, & fortunæ, si-  
ne dubio datur parvitas materiæ excusans à mor-  
tali: cum præter vitam, & speciem humanam,  
quam lædunt homicidia, & peccata venerea,  
omne aliud bonum proximi finitum divisibile sit  
majus, & minus, quandoque adedò minutum;  
ut ejus læsio, vel ablatio non possit rectã ratione  
censeri capax malitiæ mortalis, utpote. 1. In  
judicio temerario: ut si temerè judices de proxi-  
mo in re levi, v. g. mentiri jocosè, esse crapula-  
tum, distractum in oratione. *Less. lib. 2. c. 29.*  
2. In detractione, vel contumelia:  
ut si narres de altero præsentè, vel absente defe-  
ctus veniales, vel naturales tantùm secluso alio  
gravi incommodo: *Lessus c. 11. dub. 3.* & com-  
munis DD. 3. In usura: ut contra aliquos ali-  
bi probabimus. Etsi enim usura sit *quidquid ul-  
tra sortem mutuatam injustè accipitur*; attamen  
quidquid, quantumvis minimum acceptum ultra  
sortem, esse usuram mortalem, à ratione profus  
alienum est. 4. Maximè in furtis omnium con-  
sensu datur parvitas materiæ à mortali excusans,  
ut si homini diviti fureris unum, aut aliquos dena-

rios: At difficultas magna, quænam sit materia magna, & notabilis sufficiens ad futurum mortale, & contra quænam materia parva à futuro mortali certò excusans? Hic ferè tot sententiæ, quot capita. Omnes tamèn ingenuè fatentur, non posse aliquam universalem certam Regulam statui, sed totum pendere ab æstimatione morali, & iudicio prudentis ex circumstantiis in particulari definiendum esse: nimirum non ex sola quantitate re ablata, sed etiam ex circumstantiis personæ ditioris, vel egentioris, cui ablata est, indeque maiori vel minori damno causato. Unde materia gravis furti alia statuenda est *absoluta*, absque relatione particulari ad personam ditio-rem vel pauperiorem: alia *respectiva*, quæ scilicet non secundum se absolutè, sed solum habitâ relatione, & respectu ad circumstantias personæ gravis est, & sufficiens ad peccatum mortale. Quâ quantitate designatâ facillè apparebit quantitas materiæ parvæ & excusans à peccato mortali.

### R E S O L U T I O.

26 **M**ateria furti gravis, & sufficiens ad peccatum mortale absoluta, & respectu cuiuscunque etiam opulentissimi, aut Regis vel Principis potentissimi, sunt duo circiter ducati: respectiva verò ad conditiones personarum est illa, quæ sufficiat ad victum unius diei tali personæ, cui ablata est. Velut si à mercatore valde divite furens duos florenos circiter: à cive mediocriter divite florenū, aut duodecim pacios: à paupere mendico aliquo

aliquot cruciferos, vel nummos, quibus se uno die  
utcumque aluisset. Ita ferè Layman l. 3. Tr. 3. p.  
1. c. 1. n. 3. alii apud ipsum. Et reipsa ferè co-  
incidunt Bonacina, P. Navarr. Diana & alii cum  
Lugo de *Justitia disp. 36. sect. 2.* & consentit no-  
ster Marchant. *Tribun. tom. 2. tract. 8. tit. 1. q.*  
*7.* Ratio est.

1. Quia, sicut alia peccata Reipublicæ perni-  
ciosa prohibentur graviter ut intrinsecè mala, non  
propter damnum actuale præcisè, quod afferunt,  
quando semel fiunt, sed etiam, & multò magis  
propter damnum habituale, quod afferrent sæpius  
repetita, si semel sine gravi culpa licerent. Exem-  
pli gr. Pollutio voluntaria prohibetur graviter ut  
intrinsecè mala, quia licet semel facta in raro casu  
ad evitandam mortem, vel gravissimam infirmi-  
tatem non afferret grave damnum speciei huma-  
næ; afferret tamen gravissimum consequenter ex  
eo, quòd si semel in aliquo casu liceret, homines  
ad illam delectationem proclives fingerent sibi  
necessitates, & causas valde frequentes in maxi-  
mum detrimentum speciei humanæ: Item reve-  
latio sigilli Confessionis prohibetur graviter ut in-  
trinsecè mala, quia licet semel facta ob gravissi-  
mam causam, v. g. proditoris detegendæ non af-  
ferret detrimentum Sacramento, afferret tamen  
gravissimum, & exosum redderet Sacramentum  
ex eo, quòd si vel in uno casu, ob gravissimam  
causam liceret, semper metueret Poenitens, ne  
forte occurreret talis causa, aut ne Confessarius  
talem causam apprehendens peccata sua reve-

let: sic de cæteris: Atque eâdem omninò ratione in proposito, furtum prohibetur ut intrinsecè malum, & grave peccatum ex genere suo, non precisè ob damnum actuale, quod afferret, furando v. g. Principi unum aut alterum ducatum, medicèriter Diviti unum florenum, aut victum ducatum diei, &c. sed etiam ob damnum habituale, quod afferret sæpiùs repetitum, si semel citra grave peccatum liceret in tanta quantitate: jam

II. Atqui, licèt reverà furtum unius vel alterius ducati à Principe, vel alio Ditissimo, unius floreni ab alio divite, &c. semel factum eidem nullum, vel exiguum afferret detrimentum, afferret tamen detrimentum maximum, si semel in tanta quantitate liceret. Tunc enim, ex hominum malitia, & avaritia innata, multiplicarentur ejusmodi furta, ex quorum frequentia maximum detrimentum etiam Ditissimis sequeretur. Ergo furtum in tali quantitate assignata censeretur debet prohiberi graviter, & sub peccato mortali. Accedit, quòd hæc sit communis hominum etiam prudentum persuasio, valorem, unum aut duos ducatos excedentem gravem esse absolutè, ut vix aliquis etiam potentissimus reperiatur, qui spectatis omnibus impendiis, tantæ pecuniæ jacturam, ut sibi damnosam non justissimè ægrè ferat. Scæus est de furtis minoris quantitatis. Non enim sequitur tantum detrimentum ex eo, quòd homines sciant, se sine peccato mortali posse aliquod minutum furari. Quia minus peccatum veniale,

le, licet minus absterreat, tamen ob minus lucrum etiam minus invitat ad illa furta minutiora.

III. Respectivè verò ad condiciones personarum per se notabile damnum infertur auferendo talibus eam quantitatem, quæ ad victum unius diei sufficeret, juxta modos assignatos. Quin etiam operario pauperi, qui diurno labore ad sui sustentationem plus lucrari non potest, furari unum pacium, mortale erit: quia eo furto majus damnum infertur tali pauperi, quàm diviti furando integrum florenum vel ducatum. Item valde pauperi etiam aliquot nummos furari, quibus ad victum valde indigeret, lethale est, eadem ratione. Nam sicut testimonio Christi *Marc. 12.* vidua illa, quæ duo æra minuta in gazophylacium misit, plus omnibus dedit, quia totum victum suum dedit: ita qui illi hæc duo æra minuta furto abstulisset, non quid modicum, sed totum victum abstulisset, ideoque grave damnum intulisset. Item eadem ratione peccatum mortale committetur auferendo alicui rem quantumvis modicam, si ipsi exinde grave damnum emergat, vel lucrum cesset: ut si auferas pauperi sartori acum, futuri subulam, scribæ calamum, aliive aliud instrumentum, cum tamen scias, ipsum aliud non habere, nec intra aliquot dies acquirere posse, ad opera sua necessaria exercenda. Uti ex communi notant *Navarrus c. 17. n. 2. Layman. c. 1. n. 3. Lugd. cit. señ. 2.*

IV. Denique apud omnes constans est, eum, qui furatur quantumvis minimam rem, sed ani-

mo

mo accipiendi quid magnum, peccare mortaliter in intentione, & affectu, etsi non in executione, & effectu. Unde si Pœnitens confiteatur, se medicum quid furatum esse, aliquando à Confessario interrogandus erit, an fortè non defuerit animi plura surripiendi, si copia vel occasio fuisset. Quod ut dicit S. Hieronymus in Epist. ad Titum c. 3. relatus c. ult. 14. q. 6. *Fur non solum in maioribus, sed etiam in minoribus iudicatur. Non enim id, quod furto ablatum, sed mens furandi attenditur. De furtis minutis multiplicatis late agimus sect. 4.*

### REGULA TERTIA.

27 **Q**uantitas magna & parva in materia peccati mortalis sufficiens vel excusans, prudenti iudicio desumenda est, ex tribus. *Ex ipsa re, secundum se spectata: ex comparatione ad totum, quod præcipitur: & principaliter ex ordine ad finem præcepti.* Vg. Cùm quaeritur, an omittenda unam Horam Canonicam, laborare unâ horâ die festo, sit materia magna vel parva? 1. considerandum est, an secundum se quid magnum vel parvum sit. 2. An comparatione ad totum Officium Canonicum, vel ad totum diem festum, una hora sit notabile, nec ne? 3. Principaliter an finis intento præcepti, scilicet Cultui divino, & vocationi religiosæ multum, vel parum noceat, omittente unam Horam, vel laborare unâ horâ. Et hæc consideratis prudenti iudicio determinandū erit, an materia magna, seu notabilis sit & sufficiens ad

ad mortale, an verò parva, & à mortali excusans censeri debeat. Exemplis mox applicabimus in Regula quarta, de Horis, feriis, jejuniis, votis, &c. Accine hic interim alia quatuor.

1. In lectione librorum hæreticorum.

Quænam censenda sit materia notabilis suffi-  
ciens ad mortale, & ad incurrendam excom-  
municationem lætæ sententiæ, vel parva à morta-  
li & censura excusans, sine dubio. 1. Perpen-  
denda est materia lecta secundum se valde magna,  
vel valde parva. Nam viginti folia v. g. legere,  
sine dubio mortale est: titulum tantum, vel unam  
lineam, veniale. 2. Etiam ratio habenda totius  
libri hæretici. Sed 3. principaliter ratio habenda  
finis præcepti sub excommunicatione prohi-  
bentis lectionem librorum hæreticorum, nimi-  
rum ad cavendum periculum subversionis in Fide,  
quod maximè timendum est in lectione librorum  
hæreticorum. Sanè regulariter, intolerabilis est  
sententia Toleti asserentis, unam etiam, vel aliam  
lineam legere, sufficere ad incurrendam censuram,  
eò quod perfecta hæresis etiam uno versu conti-  
neri possit. Rectè respondet *Layman*, in lege  
præsertim pœnali spectari id, quod communiter,  
non quod rarò contingit. Communiter autem  
non imminet grave periculum, ex tam modica li-  
bri hæretici lectione. E contra generaliter nimis  
laxè *Sanchez. Rodriq. Sa. alii apud Dian. p. 5. tr.*  
*5. resol. 42.* integram paginam majoris volumi-  
nis hæretici pro parva materia à mortali, & ex-  
com-

communicatione excusantes. Certè *Vivaldus* & *Sa* quoad hanc sententiam Romæ expurgati sunt: unde non satis tuto *Layman lib. 2. tract. 1. de Fide c. 15. n. 5.* generaliter censet, Confessorium posse absolvere eum, qui unam paginam libri hæretici legit, eò quòd præsumere possit, eum non incurrisse excommunicationem Bullæ, juxta dictam opinionem *Sanchez*. Finis ergo considerandus est. Placet judicium *Marchant. Trinit. tom. 2. tit. 2. q. 2.* Non esse hic attendendam materialem quantitatem penes numerum linearum, vel paginarum magnitudinem, sed morale periculū infectionis, ex materia, quæ legitur, contra finem præcepti. v. g. Aperit quis librum, & primo statim intuitu, in primo vel altero paragrapho advertit hæresin, vel errorem contra Fidem, & nihilominus, siue malitiã, siue curiositate, vel levitate pergit legere etiam paucas lines, is omninò peccat mortaliter, & anathemate feritur: quia & periculo sese exposuit, & contra totum finem legis processit. At verò talis advertens materiam esse indifferentem, præsertim historicam, politicam, Ethicam, &c. sine hæresi, vel errore, etsi pergat legere unam, alteram, tertiam paginam, post factum non est condemnandus peccati mortalis, nec consequenter excommunicationis: quia reverà respectu totius libri, & finis præcepti est materia parva; cum nullum periculum subfuerit. Non tamen est suadendum uti licentiã propter periculum, quod subesse potest.

Nam

Nam hæreticorum sermo serpit, ut cancer, teste Apostolo.

*II. In retentione eorundem librorum.*

**E**tiam hic consideranda sunt mora temporis in retinendo, intentio retinentis, & principaliter finis legis eam retentionem sub excommunicatione prohibentis ob idem periculum subversionis in Fide, tenentia enim dat causam legendi, lectio causam ruinæ. Unde primum agnoscens quis hunc librum esse hæreticum, & solum parvo tempore per aliquot horas, aut unum, vel alterum diem detinet cum proposito tradendi illum postea, ex parvitate materiæ sine dubio excusatur à mortali, & à censura, & accedente aliqua causâ rationabili, vel impedimento ab omni culpa: at verò si quis conscius hujus legis habeat voluntatem absolutè retinendi librum, sanè quæcunque retentio etiam modicissimi temporis peccatum mortale erit, etiamsi mutatâ mox voluntate brevissimo tempore duret; quia voluntas illa peccatum mortale est, & ex illa procedit exterior retentio, & insuper tunc incurrit censuram: docet *Suarez tract. de Fide disp. 20. sect. 2.* Sed hæc probabilius negant *Sanch. Reginaldus, Castropal. alij cum Diana p. 5. tr. 5. resol. 43.* Ratio est: quia censura non incurritur ob voluntatem retinendi, sed ob ipsam voluntariam retentionem libri hæretici contra prohibitionem & finem legis: ergo licet intentio illa interna mortalis fuerit; ipsa tamen actualis detentio tam parvi temporis v. g. unius

unius horæ, vel diei non potest centeri materia  
gravis, & sufficiens ad peccatum mortale ex-  
num (quod solum feritur censurâ) cum id non  
adversetur graviter fini legis;

*III. In percussione Clerici.*

**S**I percussio externa Clerici consideratis cir-  
cumstantiis personarum ex se verè levis, &  
venialis fuit v. g. tenuissima alapa, modica reus-  
sio hominis tibi importuni, esto etiam interna  
malâ voluntate graviter percutiendi; mortaliter  
deliqueris, ut si intentato gravissimo ictu, Clerico  
declinante, solum auricolam, vel scapulam levi-  
ter tetigisti, manet materia levis; & excusans à  
censura Canonis. Ita cum nostro Portello verè  
*excommunicatio num. i i. Idem Dian. ibid. respo.*  
65. Ratio eadem est: quia Ecclesia non excom-  
municat propter actus internos, sed propter actus  
externos moraliter malos, & proinde requirit, ut  
actus externus sit gravis, & capax peccati mortale-  
lis. Nec obstat, quòd jure communi excom-  
municatio ob percussione[m] levem communitate  
Episcopo absolvenda: non enim intelligitur con-  
percussio levis, quæ non sit peccatum mortale  
saltem dubiè, sed percussio levis, quæ non sit  
valde gravis, atrox, enormis.

*IV. In aliis censuris, & casibus reservatis.*

**G**eneraliter quodcumque actus externus,  
propter quem lata est censura, & rele-  
vatio, ob parvitatem materiæ excusatur à mor-  
tali, & verè venialis est, etiam à censura, ut

reservacione, quidquid sit de intentione interna mala, ob eandem rationem datam: censura enim non fertur, nisi propter peccatum mortale externum; & non reservatur, nisi peccatum mortale externum in effectu consummatum: ut si fureris modicum quid ex Ecclesia, vel Monasterio; si obiter alloquaris Monialem; unico passu ingrediaris Monasterium Monialium, aut similiter Monialis egrediatur saltem altero pede in poste subsistente; de quibus, & similibus curiosis vide Dian. eademp. §. tract. §. resol. 46. & a resol. 27. usque ad 33.

### REGULA IV.

**I**n materia peccati mortalis, tertia, vel quarta pars cujuscunque totius notabilis est; ideoque talis, nisi ipsum totum sit exiguum. Minor, quam quarta pars non est notabilis, sed ex parvitate materia venialis evadit, nisi secundum se sorsim sumpta valde notabilis sit, aut valde officiat fini intento precepti. Hanc simplici Regulam partim desumptam ex Navarro, & Azorio, & lumine naturali satis liquida multum puto juvari posse simplicem Confessarium in resolvendis casibus. Applica exemplis communioribus in praxi.

#### I. In horis.

**O**mittere quamlibet Horam Canonicam, etiam ex minoribus, vel Laudes, aut integrum Nocturnum in Matutinis, mortale est, secundum communem DD. Ratio est. Quia licet una

Hora minor, *Nona v. g. vel Completorium* respectu totius Officii non videatur notabilis pars: tamen secundum se sumpta, & spectato fine Ecclesie, quæ præcipiendo voluit, ut à Clericis singulis tatis diei horis aliquid peculiaris cultus, & ratione peculiaris mysterii Deo offerretur: à quo sine notabiliter deficit, qui unam etiam Horam minorem, Laudes, vel Nocturnum unum omittit, omninò censeri debet materia gravis. *Leffius l. 2. c. 37. dub. 9. Bonacin. to. 1. disp. de Horis Canon. 9. 5. prop. 1. Tamburin. l. 2. in Decal. c. 5. §. 2. n. 1.* E contra ergo minus, quàm integra Hora minor non erit pars notabilis, adeò, ut nisi omittas diutius Horæ minoris vel amplius, seu quantum notabiliter non adæquat Horam minorem, non est condemnandus peccati mortalis. *Communior D. Lessius. Bonacina supra, Marchant. Tribun. p. 2. tr. 2. tit. 3. sect. 2. q. 3.* Ratio est. Quia omnes Horæ Canonice ex institutione Ecclesie unum unius diei Officium constituunt: hinc notabilis pars omissionis, vel gravitas materiæ omisæ, non respectu singularum Horarum, sed respectu totius Officii conjunctim expendenda est: quantum notabiliter noceat fini ab Ecclesia intento, scilicet colendi DEUM Officio diurno. Atqui, sicut respectu totius Officii, & considerato fine ab Ecclesia intento, quælibet Hora, etiam minor revera est notabilis pars; ita notabiliter minus, quàm Hora minor, non potest amplius censeri pars notabilis, vel materia gravis, licet revera quid notabile sit respectu ipsius Horæ minoris. Nec verosimile est, Eccle-

Ecclesiam piam Matrem velle æternis ignibus ad-  
licere eum, qui levio rem partem Officii, quàm  
maximus, negligit. Cæterum si modicam tantum  
partem Horæ minoris recites, v. g. initium hym-  
ni aliquot versus Psalmi, cenferis totam negligere,  
quiatam parum pro nihilo reputatur; ideo pecca-  
re mortaliter.

## II. In Feriis.

**D**ie dominico, vel festo, unâ horâ laborare  
serviliter, veniale tantum esse ex parvitate  
materia rectè sentit *Suarez 10. 2. de Religione. l. 2.  
de Fest. s. c. 32.* Maximè si labor non sit nimis ser-  
vilis, & fatigans corpus, ut notat *Layman l. 4.  
tr. 7. c. 1.* Imò communis jam sententia duas ho-  
ras permittit citra mortalem culpam. *Fellencius  
tr. 26. c. 11. q. 1. Diana cum Tamburin. l. 4.  
c. 3. §. 2.* Quia nim. labor unius & alterius horæ  
comparatione totius diei naturalis 24. horarum  
non videtur pars notabilis, aut ita officiens fini re-  
ligiosæ vacationis, ut culpæ mortalis damnari  
possit. Scio aliquos etiam tres, etiam quatuor, &  
non neminem sex horas permittere: sed probare  
non possum. Quia, dempto tempore quietis,  
quod in religiosa feriacione moraliter computan-  
dum non videtur: certè tres vel quatuor horas  
serviliter laborare, pars valde notabilis emergit, &  
notabiliter officiens fini religiosæ vacationis ad  
cultum divinum. Excipe: nisi paupertas, vel alia  
iusta causa excuset.

Similiter in die festo omittere in Sacro audien-

do Introitum usque ad Evangelium ; inò secundum aliquos, usque ad initium Offertorii, sicut etiam post Sumptionem reliquum, veniale est pro parvitate materiæ ; at verò tantundem omittitur tempore intermedio nemo à mortali excusatur. Quia spectato fine Ecclesiæ principali, ut antè rùm fideles religiosè assistant cultui divino laudativo per incruentum Sacrificium, partes illæ partes, etsi non modicæ, tanquam accessoria ad Sacrificium pro modico reputantur : partes verò Missæ mediæ ab offertorio usque ad Sumptionem, quia totam actionem Sacrificii continentur principales sunt, idèoque in iis etiam modica pars secundum se meritò quid notabile censetur. Similiter, si Sacerdos in Missa ex negligentia omittat *Gloria vel Credo*, parum omittitur censetur, nec ultra culpam venialem : at tantundem omittens in S. Canone, grave quid omittit, & culpa omninò lethali, secundum omnes, quos sciamus, apud Tamburin. supra. Cæterum etiam in Canone dicendo aliquam parvitatem materiæ essentialis à mortali admittunt DD. communiter, ut potè omittere nomen unius Sancti, speciale Communicantes, vel *Infra actionem*, omittere aliquam crucem, inclinationem, genuflexionem, cultum pectoris, secluso semper scandalo, & contemptu formali. Vide *Lexico de Eucharistia* §. 20. sect. 4. num. 107.

### III. In Jejunio.

**P**ro collatiuncula vespertina licita quoad quantitatem, libentissimè admitto quartam partem

partem solitæ, solidæque cœnæ, quam quis aliàs spectatâ suâ personâ, ætate, complexione, occupatione ordinariè ad sufficientiam naturæ sumere solet: Ut si pro cœna ordinaria sumere soleas duas libras, poteris in collatione vespertina sumere sine scrupulo mediam libram, idq; in qualibet qualitate ciborum esurialium. Est hæc regula plana & universalis, ut cuius hominum statui, vel conditioni faciliè applicari possit: quam tradunt *Fillius. Tract. 27. p. 2. c. 2. q. 7. Reginaldus in praxi to. 2. l. 4. n. 185. Layman cit. n. 9. Tamburin. l. 4. c. 5. §. 3.* ait, receptam esse Recentiorum opinionem, cœnulam vespertinam ascendere posse ad octo circiter uncias ex consuetudine legitimè introducta: idque universaliter respectu omnium: sive aliàs magnâ, sive modicâ cœnâ utentium, sive robustorum, sive valetudinariorum, etiam eorum, quibus octo unciis fames omninò extinguitur: & si constaret de ejusmodi consuetudine legitimè introducta, hæc sententia multùm faceret ad eximendos scrupulos Religiosioribus: & in particulari convenit cum nostra Regula. Si quis enim in cœna soleat sumere ad triginta uncias, quarta pars licita ascendet ad octo circiter uncias. Sed hæc incidentaliter.

Verum enim verò hanc eandem quantitatem sine dubitatione admitto pro quantitate notabili in fractione jejunii: adeò, ut qui extra tempus refectionis sumeret quartam partem solidi prandii, vel cœnæ, citra necessitatem, vel causam excusantem, sine dubio mortaliter frangeret jejunium; quia

quia notabiliter noceret jejunii fini, seu abstinē-  
 tiæ ad mortificationem carnis. Contra verò tertia  
 vel quarta pars ejusdem collationis vespertinæ &  
 circiter duodecima vel minor pars ordinariæ co-  
 næ seu ut determinat *Diana p. 5. tr. 5. resol. 11.*  
 quantitas duarum unciarum circiter, omnino ab-  
 mittenda est pro parva materia à mortali excusa-  
 te: adeò, ut nisi extra tempus sumas circiter  
 medium collationis vespertinæ, & plus, non de-  
 beas damnari mortalis fractionis jejunii. Ratio est  
 Quia illa quantitas exigua, & minimè notabilis  
 est, & secundum se, & in ordine ad totum, & in  
 ordine ad finem jejunii, seu abstinētiæ, quam in-  
 lædit notabiliter, seu simul, seu successive sum-  
 tur: læderet autem graviter & mortaliter, si sum-  
 retur sæpius, ut *sect. 4.* notabitur.

Denique sermo fuit de fractione jejunii in co-  
 bis licitis esurialibus. Nam in esu carniùm præce-  
 pto negativo specialiter prohibito: quantitas  
 hinc assignatam pro parva materia certè nemo ab-  
 mittit. Omnes tamen aliquam admittere debent  
 parvitatem materiæ à mortali excusantem pro-  
 pter rationem Regulæ secundæ. Aliqui apud *Dia-*  
*nam, cit. p. 5. tr. 5. res. 32.* nimium scrupuloso-  
 gore eam parvitatem materiæ assignant, quæ  
 sufficeret coquo ad gustandum cibum, vel capi-  
 ferro Principium ad prælibandam. Majorè omnes  
 concedunt licentiam ministris infirmorum, non  
 tantum ad prægustandum, sed etiam ad excitan-  
 dum appetitum & fastidium tollendum infirmis,  
 si ita expedire videatur: tunc enim est urgentior  
 ratio

tatio charitatis, quam Ecclesia impedire non intendit. Et quæso te, vellésne peccati mortalis condemnare eum, qui absq; omni justa causa, ex mera levitate, curiositate, vel gulositate, frustillum carnis, dimidium aviculæ, vel quid simile devoraret? Ego non. Certè enim à ratione alienum est credere, Ecclesiam piam Matrem velle filium suum lethali noxæ, & æternæ damnationi adstrictum, ob tantillam transgressiunculam. *Nec obstat*; quòd Præceptum Ecclesiæ de non comedendo carnes diebus vetitis sit negativum: nam & ipsum Præceptum divinum naturale de non furando negativum est: neque est major obligatio præcepti positivi Ecclesiæ quam divini naturalis: ergo sicut in hoc excusat à mortali parvitas, materiæ, ita etiam in illo.

Adverte tandem in eodem præcepto negativo non comedendi carnes die jejunii, nullam dari parvitatem materiæ excusantem à mortali quoad tempus diei naturalis à media nocte usque ad mediam noctem: nam post certò impletam duodecimam noctis præcedentis diei, vel ante certo impletam duodecimam noctis ipsius diei jejunii, quocunque minimo temporis spatio v. g. dimidio *Ave Maria* comedens carnes in quantitate sufficienti peccat mortalitèr, quia nimirum Præceptum huiusmodi negativum obligat toto die jejunii semper, & pro semper excludendo omnem partem temporis illius diei à comestione carnis. Eadèmq; ratione in veriori sententia nulla datur parvitas materiæ excusans quoad tempora ætatis in jure



præscripta in ordine ad aliquos actus licite, vel v-  
 lidè exercendos, utpote ad suscipiendos Sacros  
 Ordines, ad Sponsalia, & Matrimonium contrahendum, ad Professionem emittendam; quia re-  
 pus à jure taxatum consistit in indivisibili, sicut  
 pretium jure præscriptum in indivisibili consistit.  
 Unde Regula illa, quod parùm distat, nihil distat  
 videtur: Et parùm pro nihilo reputatur; non habet  
 locum in taxatis à jure. Certè parùm distat dimi-  
 dium Ave Maria post, & ante duodecimam noctem  
 jejunii, & tamen in posteriori licet, in priori mor-  
 tale est comedere carnes, secundum omnes. Sed  
 scio contrariū doceri, & practicari tanquam pro-  
 babile, ut videre potes apud Dian. p. 5. tract. 1.  
 à resol. 16. ubi in fine resolvit, eum, qui in anno  
 bissextili implet ætatem die ordinario currente  
 vigesimo quarto Februarii, non posse Professio-  
 nem eo die emittere, sed debere expectare diem  
 sequentem bissextum, eò quòd uterque dies pro  
 uno computatur. Idemque dicendum esse de sus-  
 cepturo sacros Ordines; sed contrariam in utro-  
 que practicari vidi.

#### IV. In Votis.

I. **Q**ui vovit B. Virgini recitare Rosarium  
 Decadum, si omittat duas, non videtur  
 peccare mortaliter: quia licet duæ Decades sint  
 pars notabilis, nimirum tertia Rosarii; quia tamen  
 Rosarium quidpiam exiguum est, nec multum  
 videtur obesse cultui B. Virginis, si quatuor decades  
 diligenter recitentur, meritò modicum censetur  
 Tamè

*Tamb. lib. 1. Decal. cap. 1. §. 3. num. 21.* II. Si quis ex voto deberet tria millia aureorum ad pias causas, & omitteret dare 50. peccaret utique mortaliter; quia licet 50. respectu trium millium valde exigua pars sit; at secundum se sumpta, & in ordine ad finem intentum, utpote sublevationem pauperum, vel Ecclesiae quid magnum & notabile est. Contra si talis solum nollet reddere tres aureos, non foret transgressio voti mortalis: quia licet tres aurei secundum se sint notabilis quantitas; attamen comparatione ad totum illud grande debitum, mortali aestimatione cessat esse notabile. Simili ratione discurrendum in casibus similibus, & semper recurrendum ad morale aestimationem, & prudens iudicium. III. Votum vel iuramentum non bibendi vinum tali die, vel tanto tempore, aut omni tempore, explicandum est quoad parvitatē materiæ, sicut Præceptum Ecclesiae de non comedendo carnes die jejunii, vel tempore Quadragesimæ: quoad tempus enim nulla datur parvitas materiæ à mortali excusans; sicut enim comedere carnes, ita & stante hoc voto bibere vinum in quantitate notabili toties, quoties, mortale erit. Quoad quantitatem verò vini potati certè admittenda est parvitas materiæ excusans à mortali, & quidem amplior, quam in comestione carnis: placet iudicium *Sanch. lib. 4. Moral. c. 12. num. 21.* ad mortalem transgressionem ejusmodi voti, vel iuramenti requiri tantum vini potari, quantum in uno prandio sufficere posset pro potu communiter utentibus tempera-

tè vino, v. g. dimidium, vel dodrantem mensuræ  
 Passaviensis, cujus proinde quarta pars, vel triosa  
 potata levis erit. Sed id rursus relinquendum pro  
 dentis iudicio, & excipiendum, nisi constaret vo  
 ventis, vel jurantis intentionem fuisse, sibi potum  
 vini etiam in modica quantitate sub mortali inter  
 dicere: non potuit tamen sub mortali interdici  
 re sibi in quantitate modicissima v. g. unius vitio  
 li per se loquendo, ut patebit *Secl. seq. in fin. II.*  
 Similiter in voto, vel juramento non ludendi ad  
 mittenda est parvitas materiæ à mortali excusans,  
 eaque mensuranda ex voventis, vel jurantis finis  
 intento, atque periculo labendi contra illum fi  
 nis; v. g. si finis voventis fuit, vel jurantis  
 privare eam delectatione ludi, ob sui mortificatio  
 nem, vel poenitentiam, aut cavendi jacturam tem  
 poris, aut evitandi discordias, rixas, blasphemias  
 &c. avidè ludentibus valde familiares: attenden  
 da est mora temporis, & periculum excedendi  
 si enim modico tempore lusit, v. g. unâ horâ sine  
 periculo incalescendi & labendi contra dictos fi  
 nes, veniale erit ex parvitate materiæ: secus si no  
 tabili tempore, aut cum animadverso prædicto  
 periculo. Si verò finis voventis, vel jurantis fuit  
 vitare jacturam pecuniæ, & prodigalitatem, vel  
 dispendium rei domesticæ &c. jam non mora  
 temporis, sed præcipuè quantitas pecuniæ exposi  
 tæ attendenda erit pro parvitate materiæ: si enim  
 modica pecunia exposita sit, nec adsit periculum  
 ita incalescendi in ludo, ut multam pecuniæ pro  
 digatur, etsi multo tempore lusus duret, non erit  
 culpa

culpa saltem gravis contra votum, vel juramentum. *Ratio est:* quia virtute talis voti, vel juramenti non includitur voluntas vitandi ludum in tam modica quantitate. Si autem notabilis pecuniæ quantitas exponatur, aut prædictum periculum subsit, etsi parvo tempore ludatur, utique mortalis erit transgressio voti, vel juramenti. Hæc omnia summarie ex eodem *Sanch. lib. 3. Moral. c. 18. n. 1. & 3.* quem vide.

### SECTIO III.

*Peccatum veniale ex genere suo etiam fit Mortale in individuo.*

#### SUMMARIUM.

31. Peccatum potest esse veniale tripliciter. 1. ex genere.  
2. Ex imperfectione actus. 3. Et ex parvitate materia.
32. Peccatum ex genere suo veniale, fit mortale ( præterquam ex conscientia erronea, de qua supra c. 1. sect. 2. ) I ex fine, vel effectu malo.
33. II. Ex periculo
34. III. Ex scandalo, &
35. IV. Ex contemptu, & sine ultimo.
36. Peccatum veniale per se quidem prohiberi non potest sub mortali;
37. Bene autem per accidens: scilicet ratione finis præcepti intenti.

Peccatum veniale etiam triplex assignatur: ex genere, ex imperfectione actus, & ex parvitate materia.

Peccatum veniale ex genere suo dicitur, quod, 31 quantum est ex natura, & objecto suo, ita levis est malitiæ, ut seclusâ malitiâ alterius speciei non possit excrefcere in peccatum mortale: Quia nimirum

mirum secundum se, & proprium objectum pro  
 statum licet sit. difforme rectæ rationi, & legi, non  
 tamen graviter repugnat; quia nec in gravem  
 Dei injuriam, neq; in grave proximi, vel sui ipsi-  
 us damnum corporale, vel spirituale cedit. Ut  
 sunt vanæ cogitationes, verba otiosa, mendacia  
 jocosa vel officiosa: & universaliter: omnis excē-  
 sus vel defectus in passionibus animi de se indif-  
 ferentibus, & usu rerum aliàs indifferentium vel li-  
 citarum: de quibus universalem regulam optime  
 tradit Lessius apud Layman. l. 1. tr. 3. c. 5. n. 7.  
*Cum aliquid per se malum non est, sed indifferens,  
 tunc excessus ejus in appetitione usive peccatum  
 est duntaxat veniale per se loquendo, & seclusa  
 gravi nocumento, aliave malitiâ extrinsecâ.* Ut  
 sunt excessus non enormes in cibo & potu, in  
 matrimonii, ornatu vestium, apparatu convivio-  
 rum. Item excessus in appetitu & usu divitiarum,  
 pecuniæ, honoris, laudis, recreationis, aut volu-  
 ptatis aliàs non prohibita, & similium, in quibus  
 mediocritatem tenere est difficile, & maxime ve-  
 rum illud Jacobi 3. *In multis offendimus omnes.*  
 Intellige semper *per se*. Seclusâ aliâ malitiâ, pro-  
 hibitione, scandalo, nocumento gravi proximi,  
 vel sui ipsius; & excessus enormitate, ut fit in vo-  
 racitate, ebrietate, & de quibus intra cap. 7.  
 sect. 4.

Peccatum veniale ex imperfectione actus est,  
 quod licet ex genere suo sit mortale, tamen ob  
 defectum plenæ advertentiæ & deliberationis intel-  
 lectus, ac ideo sufficientis voluntarij, ac consenti-

voluntatis veniale hinc & nunc in individuo evadit, ut blasphemia ex impetu passionis.

Peccatum veniale ex parvitate, vel levitate materia est, quod etiam ex genere suo natum est mortale esse in sufficienti materia, hinc & nunc autem deficiente sufficienti materia veniale evadit. De hoc utroque late satis actum *sect. prac.* Hinc videndum, qualiter ipsum peccatum veniale ex genere fiat mortale in individuo.

#### ASSERTIO IV.

*Peccatum veniale ex genere suo, fit mortale in individuo his ferè modis. Ex conscientia erronea, de qua supra: ex fine vel effectu malo: ex periculo: ex scandalo: ex contemptu: ex ultimo sui constituto. Communis doctrina.*

##### §. I.

##### *Ex Fine, vel Effectu malo.*

UT si quis leviter vel officiosè mentiatur ad 2<sup>o</sup> obtinendam fornicationem: ipsum mendacium de se veniale fit mortale ex fine, juxta dicta suo loco. Quemadmodum etiam ex effectu malo, seu gravi detrimento proximi vel sui ipsius præviso, vel prævideri debito veniale in mortale evadere potest. Ut si quis ex levitate garriat, sive quid modicum furetur, unde gravissimas suspensiones, odia, inimicitias, jurgia &c. oritura prævidet, vel prævidere deberet, mortaliter peccat, cum sit voluntaria causa gravium incommodorum sibi saltem indirectè voluntariorum. Similiter, si transiens per vineam cum multis, paucosq;

tacc-

racemos accipiens in causa sis, ut alii exemplum tuum secuti notabile damnum inferant, mortaliter peccas secundum omnes. Quin etiam saltem ex charitate, sub mortali teneris ad compensandam partem à te ablatam, si spes sit probabilis etiam alios damnum compensaturos. *Lajm. l. 3. c. 3. p. I. c. I. n. 3.*

## §. II.

*Ex Periculo.*

33 **P**eccatum veniale (imò quæcunque actio indifferens) evadit mortale, si advertatur ad esse proximum periculū labendi in mortale: juxta illud Eccl. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Et, quia talis salutem animæ contemneretur, cum ejus tam probabili periculo temerè se exponit. Ut si excedendo in potu, etsi venialiter tantum, certo prævideas te inebriandum, Horas omissurum, in fornicationem aliudve peccatum lapsurum. Si frequentes conversationes de se quidem non malas, saltem moraliter, quibus tamen mortaliter labi sæpius expertus es, & eò ipsò peccas mortaliter, & quidem eodem genere peccati, cujus proximo periculo te exposuisti. Unde in confessione exponere debes species peccati, cujus periculo te exposuisti: illud enim commisisse censearis: quandoquidem eodem precepto, quo vitare tenemur tale peccatum, tenemur etiam vitare illius proximum periculum, vel occasionem. Debet autem semper ejusmodi periculum esse moraliter grave, proximum, & ut re-

cent, obruens: è quo, attentis circumstantiis, difficulter possit evadi, & culpa læthalis evitari. Si enim periculum prævisum possit facillè caveri, debitaque ad cavendum cautela adhibeatur, non est gravius, saltem mortale peccatum se illi committere. *Communis doctrina.*

§. III.

*Ex Scandalo.*

Similiter veniale peccatum mortale evadit, cum prævidetur, vel prævideri deberet, cedere in grave proximorum scandalum, seu ruina spiritalem. Sic levitates, etsi de se veniales tantum, Religiosi vel Clerici coram Sæcularibus exinde graviter scandalizandis, evadunt mortales, secundum omnes. Ubi obiter nota, ad malitiam mortalem scandali minimè opus esse, ut ruina proximi per se directè intendatur, quod propriè est scandalum diabolicum, omnium contra proximum peccatorum gravissimum: sed sufficit, quòd indirectè libenter volita sit: quod scilicet proximum quocunque modo, aut jussu, consilio, suasu, prece, inducas ad agendum aliquid, quod est peccatum mortale, aut sine mortali fieri non potest: aut saltem exemplo tuo provocas ad peccandum, utpote agendo vel omittendo aliquid, ex quo prævides, vel prævidere deberes, proximum sumpturum occasionem ruinæ spiritualis: quæ eò ipsò indirectè tibi voluntaria imputabitur: sive deinde opus tuum reverè malum sit, sive solum speciem mali habeat. Ut si Clericus domi alet personam populo suspectam,

Etiam, etsi ponatur, nullum subesse peccatum, nisi peccati periculum, aut ad summum levitates veniales appareant, tamen peccat, atque ad vitandum publicum scandalum, & malum detractionis atque contemptus status Clericalis, ex illius specie mali oriturum, sub mortali tenetur illum foeminam dimittere, ut ex *Concilio Trident.* sess. 25. c. 14. *De reformat.* communiter docent Doctores.

## §. IV.

*Ex Contemptu, & ultimo Fine.*

35 **Q**Uæcunque transgressio legis vel præcepti cujuscunque etsi in materia levissima, & maximè veniali, ex formali, & gravi contemptu legis vel præcipientis, semper est peccatum mortale & speciale formalis inobedienciæ, de quo est professo *cap. 7.* ubi de causis peccatorum.

Denique, ultimo & pessimo modo, veniale est mortale, quando in eo constituitur ultimus finis hoc est: quando peccans peccato veniali, v. g. in vanâ gloriâ, gulâ, potatione, lusu, usu immodico conjugii &c. ita ardentè affectus est ejusmodi peccatis, ut propterea paratus sit quamcumque legem Dei transgredi, vel Deum quomodolibet offendere, ideòque gratiâ, & amicitia DEI privari. Quod aliquando quidem fit explicitè, præsertim in ardentè ludentibus, qui sæpè priusquam desistant, potius die festo Sacrum negligere, vel quamvis legem violare parati sunt, & non raro actu violant aliquando verò, & sæpiùs fit implicitè: ut dicitur quis quidpiam acturus, suborto dubio, an non

forte graviter peccet, & DEum offendat, ejusque gratiam perdat, nihilominus facit vel pergit: censetur is tunc interpretativè dicere, sive sit grave peccatum; vel gravis offensa DEL, sive non: ego faciam: ideòque in eo peccato de se veniali ultimum finem constituit, quia plus creaturam, quam DEUM diligit, atque mortaliter gravissime peccat contra Charitatem. Unde in hoc casu non videtur sufficere in Confessione solum dicere propositum illud violandi quàm cunque legem DEL, sed opus est etiam explicare actum, propter quem, vel cujus amore habuisti tam perversum propositum offendendi DEum, v. g. potum, solum &c. Quò enim vilior res est, propter quam quis paratus est DEum offendere, eò gravior est injuria & contemptus infinitæ Bonitatis, ac Majestatis divinæ. In aliis autem modis superioribus plerumque sufficit solum exprimere rationem peccati mortalis, omisâ ratione peccati venialis: ut si mentiendo foeminam induxisti in peccatum, & excessu potus alios graviter scandalizasti: sufficit dicere: *induxi foeminam in peccatum; graviter scandalizavi alios*: nec opus est exprimere mandacium, vel excessum in potu.

Dubium incidens.

*Utrum peccatum veniale possit prohiberi sub mortali, seu fieri mortale ratione novi Præcepti prohibentis?*

RESOLUTIO.

*Per se non potest.* Ratio est. Quia accedente novo divino vel humano præcepto, materia

THEOL. MORAL. PARS I. Ff in

in se minimè mutatur : ergo actus, qui secundum se & circumstantias suas omnes omninò levis & venialis est, ratione solius novi præcepti non potest fieri mortalis. Deinde quia ad omnem legem vel præceptum essentialiter requiritur, ut sit honesta, iusta, rationabilis : at verò rem omninò levem ac venialem velle prohibere sub peccato mortali, esset omninò injustum, irrationabile, inconueniens, quod DEO repugnat, & hominibus non decet. Ergo &c. Unde noster *Alphonf. a Castro lib. 1. de lege pœnali c. 5.* meritò reprehendit Prælatos Regularium, qui rem ita levem, ut peccatum silentium, tardum accessum ad Chorum, unum fructus vel lactuæ comestionem &c. præcipiunt, vel prohibent per Obedientiam, sub excommunicatione, aliove modo gravem obligationem significante : atque eiusmodi præcepta communitaria tantum esse censenda, non obligatoria ad tantam culpam. Excipe tamen, nisi accederet contumacia, & contemptus. Tametsi enim lex vel præceptum Superioris primò de re levi sit, gravitas tamen oriatur obligatio, & culpa transgressiva, quando post Superioris admonitionem repetita contumacia accedit, non sine contemptu saltem implicito, & gravi communis obedientiæ detrimento. Quâ ratione *c. si quis. De vita & honestate Cler.* jubetur excommunicari Clericus, qui commam nutrierit : haud dubiè, post præviam admonitionem contumaciter. Simili modo discurrendum de venantibus, vel piscantibus contra prohibitionem Principis, vel Magistratus.

II. Per accidens autem potest. Sæpissimè enim fit, quod materia secundum se ex objecto suo omnino levis & venialis, imò indifferens, per accidens tamen ratione finis, quatenus scilicet referatur ad Communitatis bonum, pacem, disciplinam, famam servandam, scandala, & pericula peccati cavenda, omnino fiat materia gravis, & tanquam capax tantæ obligationi, justè sub peccato mortali, sub pœna excommunicationis, vel alia gravissima prohibeatur. Sic lex Ecclesiastica sub excommunicatione latæ sententiæ justissimè prohibet detentionem & lectionem librorum hæreticorum. Quia quamvis detentio simplex, vel modica lectio libri hæretici per se non sit materia gravis; quia tamen detentio est incentivum lectionis, & etiam modica lectio paucarum paginarum potest hæresis veneno inficere, ideò per accidens ratione periculi efficitur materia gravis, & capax tantæ culpæ. Similiter in SS. Religiosis justissimè sub peccato mortali, per S. Obedientiam, quandoque etiam cum reservatione, vel censura prohibetur ingressus in cellam alterius; scribere litteras vel recipere sine scitu Superioris: ingressus in certas domos: bibere vel unicum haurire in domibus Sæcularium, ubi habentur Mortuaria, & alia hujusmodi, tametsi secundum se omnino levia, & ad summum venialia, per accidens tamen relata ad bonum commune, ad evitanda scandala, & peccandi pericula sæpè omnino necessaria, vel maximè utilia: adeoque verè materia gravis, & culpæ mortalis capax. Nequè obstat,

quòd in particulari casu respectu hujus personæ non sit proximum; vel ullum omnino periculum peccati, vel scandali: quia lex fertur ad bonum commune omnes concernens; & ad averterendum malum commune, seu tollendam omnem occasionem mali generaliter respectu omnium, & non ratione certæ personæ: ideòque omnes illi communi obligat: omnes enim bono communi tali lege intento perfruuntur, omnes tale malum peccati vel scandali incurrere possunt, esto deest unus aut alter in particulari non incurreret. Ut est communi Doctrina bene notat *March. Tribun. p. 2. tr. 1. tit. 8. q. 3. Reg. 1. in fine.* Vide etiam *Tambur. lib. 1. in Decalog. c. 1. §. 3. n. 18. seqq.* Licet enim non sit periculum in illo casu, adest tamen periculum generaliter, & ut plurimum, quod fuit sufficiens causa imponendi illud præceptum: circa quod elegantem tradunt Regulam Juris apud Nicol. Dubois ad Propositionem ab Aletho VII. damnatam 40. *Lex, quæ periculo occurrere vult, committitur etiam non secuta novâ; Lex, quæ ob occasionem noxiam factum damnat, causam facti non distinguit, etiam non malo consilio facientem constringit, & ita docet communis Theologorum apud Basil. Pontium lib. 5. de Mor. c. 5. n. 11.* *Tamb. lib. 1. Decal. c. 1. §. 3. à num. 18.* Atque eadem ratione resolvendum erit in questione, an vovens in materia levi possit se obligare sub mortali: item an Confessarius possit imponere poenitentiam levem v. g. *unum Ave Mariæ stella &c.* sub mortali implendam? Per se certè

neuter potest, sicut nec Superior ob rationem  
nox ante n. præced. datam. Poterit tamen per ac-  
cidens ob gravis momenti finem, vel circumstan-  
tias eâdem ratione, quâ modò de Superiore præci-  
piente explicatum est. Sed hæc insinuâsse satis  
est; latiùs tractanda in propriis materiis.

## SECTIO IV.

*An, & quomodo venialia multiplicata con-  
stituunt peccatum mortale?*

### SUMMARIUM.

31. Venialia multiplicata quidem ad mortale tandem di-  
sponunt.
32. At verò sine omni morali connexione in materia, vel ef-  
fectu aliquo, etiam in infinitum multiplicata ratione  
soli multiplicationis mortale fieri non possunt.
33. Sic, Clericus quotidie in Breviario omittens aliquot ver-  
sus &c. opifex singulis festis per totum annum unâ &c.  
g. horâ laborans &c. non peccat mortaliter. Idem  
est de jejunante.
34. Item qui toto anno parvam & g. orationem ex voto pro  
quodis die determinatam debitam, omittit, semper ve-  
nialiter tantum peccat.
35. Ego qui talia unâ intentione & g. initio anni proponat  
quotidie facere: & g. quotidie aliquot versus omit-  
tere, laborare: orationem illam omittit: quâvis oc-  
cassione leviter mentiri &c. Idem est de eo, qui plures  
ad similia faciendâ inducit.
36. Similiter, per se loquendo probabiliùs venialiter tantum  
peccat, qui vult committere omnia venialia, & sola  
mortalia vitare.
37. Quando verò habent moralem inter se connexionem  
ratione materiae concrecentis, vel effectus causati sub  
aliqua una directa, vel indirecta intentione, mortale  
efficiunt.

45. Sic, qui directa intentione per furtum minuta intendit, cessante auferre notabilem quantitatem, si prima fuerit, & singulis furtis peccat mortaliter: quia tamen omnia, ut potest continua unius male intentionis extensio, in unum mortale concresecunt.
46. Similiter, qui ex sola saltem indirecta intentione conuincendi veniale usque ad materiam notabilem, advertens & g. furando minuta, omittendo Versus, Psalms, laborando die festo, comedendo die ieiunij &c. tandem concresecere materiam notabilem, tandem pergit, ultimo actu illius materia completiua peccati mortaliter.
47. Insuper hoc speciale est in materia furti, & g. quod si non advertat à se auferri notabilem quantitatem, per furtum minuta, sicque non peccet mortaliter auferens, peccabit tamen mortaliter postmodum cognitam quantitatem retinendo.
48. Et hæc per hos tres numeros dicta etiam vera sunt, quando huiusmodi furtum minuta sunt, ab eodem pluribus Dominis, & admissa tamen maiore quantitate materiae, si pluribus, quam si uni fiant.
49. Si sciens alias quoque modica furari, vel furatus esse, & ipse nihilominus modica furetur, absque tamen iudicio vel consensu in furtum aliorum, probabiliter scilicet mortaliter peccat.

38 **P**eccata venialia multiplicata, tandem disponere ad mortale, omnes fatentur cum S. Theodoro. 1. 2. q. 88. a. 3. Ratio ex dictis patet. Quia peccatum veniale est veluti spiritualis languor & infirmitas animæ, quo nimirum fervor charitatis & gratiæ, quæ est spiritualis animæ vita languet, & debilitatur: ergo quò magis multiplicentur venialia, eò magis disponunt ad mortem spirituales animæ per peccatum mortale facile incurrendam. Iuxta illud Eccl. 19. *Qui spernit modicum,*

paulatim decidet. Et experientiâ nimis notum est, eum, qui facilis est in multiplicandis venialibus, paulatim declinare in mortalia: sive ejusdem materiae, ut assuetus furtis parvis, tandem audeat majora: incautus in aspectu, lectione, locutione, tactu turpi, sensum declinat in deteriora: sive diversa materiae; ut assuetus multiplicare mendacia, declinat in perjuriam; deditus intemperanter potui, solui &c. in nescio quæ flagitia. Sed quæstio est, an peccata venialia multiplicata tandem seipsis efficiant mortale? Ita sanè universim videtur asserere *Glossa in c. tres sunt. de pœnit. & D. August. variis locis.*

### ASSERTIO V.

**P**eccata venialia omninò disparata absque omni morali connexione in materia, vel effectu aliquo, quantumlibet multiplicata in infinitum ratione solius multiplicationis, nullo eventu possunt fieri peccatum mortale. Communis doctrina. *D. Thomas I. 2. q. 88. a. 4. Scot. in 3. d. 38. q. 1. S. 1.*

**R**atio est. Quia sola multiplicatio non variat propriam rationem peccati in aliam rationem diversam: atqui ratio peccati mortalis adæquatè sumpta omninò diversa est, & quodammodo infinite distat à ratione peccati venialis: nam peccatum mortale, ex eo, quòd sit offensa DEI, & aversio à DEO summo & infinito Bono, simpliciter est quodammodo malitiæ infinitæ, ideoque mereretur pœnam æternam: peccatum verò veniale, cum non sit aversio à DEO simpliciter,

eiter, finita solum & levis est malitia, penam  
 que temporalem ac leuem meretur: atqui ulterius  
 finitum quantumlibet multiplicatum nunquam  
 adæquat infinitum; quia finiti ad infinitum nulla  
 proportio: ergo peccata venialia quantumlibet  
 multiplicata in infinitum, ratione solius multipli-  
 cationis nunquam fient peccatum mortale, nun-  
 quam adæquabunt unum peccatum mortale in  
 ratione offensæ DEI, quia nec omnia simul aver-  
 tunt à DEO ultimo fine, sicut unum peccatum  
 mortale. Itaque verba otiosa, mendacia jocosa &  
 similia venialia quotidie millies repetita, nunquam  
 per totum annum, nunquam per centum annos ef-  
 ficient peccatum mortale; quia illa venialia om-  
 ninò disparata sunt, absque omni morali connexio-  
 ne in materia vel effectu aliquo. Sed afferamus  
 exempla & calus speciales.

## §. II.

40 **C**Lericus ex negligentia vel incuria quotidie  
 Comittens aliquot versus, aut unum vel alte-  
 rum Psalmum in Officio divino: opifex omnibus  
 diebus Dominicis & Festis per horam circiter  
 serviliter laborans: qui per totam Quadragesimam  
 quotidie modicum extra refectionis tempus su-  
 mit &c. quantumvis per totum annum vel Qua-  
 dragesimam notabilis quantitas omissorum Psa-  
 lorum: laborum servilium: ciborum extra men-  
 sam sumptorum: concreseat & coacervetur: sem-  
 per tamen toto anno, imò quotcunque annis, so-  
 lum peccat venialiter, & nunquam mortaliter.  
 Intellige semper, *per se*, secluso scandalo, con-  
 temptu,

emptu, periculo, aliãve malitiã. Sic Suarez, Vasquez, alii cum Sanchez lib. 1. Moral. c. 4. Layman.

l. 1. c. 7. n. 4. Quia nimirum tales actus non habent ullam moralem connexionem per distinctionem dierum, cum eorum obligatio cum quolibet die extinguatur. Idem à fortiori dicendum, si plura venialia comittantur contra diversa præcepta: ut si in die Festo incidente in diem jejunii, & in Missa audienda veniales defectus admittas, & modicum extra mensam comedas, & insuper perieris, mentiaris &c.

§. III.

Qui vovit toto anno, singulis aut certis diebus, puta Dominicis, Veneris, Sabbathi &c. dicere unum, tria *Pater & Ave*: dare modicam elemosynam, vel simile opus bonum de se exiguum præstare: idque determinatim, ita ut quælibet oratio, vel elemosyna cujuslibet diei onus sit exclusã intentione, omissum uno die, supplendi alterã die, etsi toto anno, vel maximã parte omittat orationem illam, vel elemosynam, semper peccat venialiter tantum, & nunquam mortaliter. Ita DD. citati. Ratio iterum est. Quia materia hujusmodi voti ex se levis est, & insufficientis ad peccatum mortale: neque per plures dies omissa ullam moralem connexionem vel continuationem contrahit, cum sit determinata ad singulos dies: ergo neque per plures dies, vel totum annum omissa unquam peccatum mortale constituet.

Secus dicendum esset, si quis talia vovisset cum expressã intentione supplendi alio die, quod

uno die omiffum est. Aut si quis unâ principali intentione voviffet orare 300. *Pater & Ave* dare pauperibus 300. denarios, &c. poftea verò modificando actualem executionem vel distributionem, quò fuaviùs faciat, decreviffet diftinctis fingulis diebus per annum dare fingulos denarios, vel orare fingula *Pater & Ave* &c. talis totum vel longo tempore omittens fine dubio peccaret mortaliter. Quia materia voti principalis gravis est & fufficiens ad peccatum mortale: distributio vero per tot dies non est votum, fed modificatio voti quoad executionem: eò ipfò autem, quò principaliter vovit orare 300. *Pater & Ave*, aut dare trecentos denarios, etfi poftea modificet per 300. dies, tamen intendiffe debet, quòd fi uno die omitteret, altero compensaret. Et ideò vi intentionis principalis omiffio unius diei continuatur mortaliter cum omiffione alterius diei: & fic tandem evadit quantitas notabilis & mortalis, eò modo quo affert. feq. late dicetur.

## §. IV.

42 **A**SSERTIO noftra in prædictis, & fimilibus casibus vera est, etfi ejusmodi peccata venialia multiplicata fub una intentione principali univertur: aded ut ipfa intentio feu propositum quotidie quâcunque occasione leviter mentiendi &c. quotidie aliquot Verfus vel Pfalmos in Officio divino omittendi: quotidie in Quadragefima extra tempus, datâ occasione modicum quid comedendi: fingulis diebus Feltis modico tempore laborandi: votum exiguum longo tempore non im-

plendi, vel omninò omittendi &c. modò dicto  
num. *precedenti*, per se loquendo solum peccatum  
veniale sit. *Secura doctrina apud Suar. Sancti.*  
*Laym. cit.* Ratio est. Quia propositum non po-  
test esse majoris malitiæ, quàm sint actus intenti :  
sed omnes actus intenti in proposito solum sunt  
veniales : ergo nec propositum vel intentio mayo-  
ris culpæ esse possunt per se loquendo.

Eadem ratione non erit mortale, si quis mul-  
tos inducat ad venialia. Ut si efficias, ut multi  
eodem die jejunii ad haustum extraordinarium  
aliquid sumentes modicè jejunium frangant : vel  
ut multi eodem die Festo modicè laborent &c. li-  
cet omnium commestiones vel labores conjunctim  
constituerent notabilem quantitatem. Quia eo-  
rum singulorum actuum non est moralis conne-  
xio : & singulorum culpæ in particulari non ex-  
cedunt venialem : ergo nec inducens plus quàm  
venialem culpam committit. Hinc resolvit *Bona-*  
*tina, de tertio precepto Decal. disp. 5. q. un. p. 3.*  
nec peccare mortaliter Dominum, qui die Festo  
laborem duarum horarum injungit viginti famu-  
lis &c. Quia unius opus nequaquam unitur cum  
opere alterius. Eadem ratio videtur, si singuli  
successivè per modicum tempus in eodem die Fe-  
sto laborent, etiamsi uno post alterum laborante  
totus dies occuparetur : ut notat *noster Fortellus in*  
*dub. regul. v. laborare, in additione.* Verùm hæc  
videntur malè sonare piis mentibus, & fraudem  
sapere.

## Dubium incidens.

Quid dicendum de eo, qui vult committere  
omnia venialia, que committenda occurrunt,  
& sola mortalia vitare?

43 **T**alem peccare mortaliter sanè docent Au-  
thores mei præcipui, Sanchez *lib. 1. Mo-  
ral. c. 5. n. 4.* Layman. *lib. 1. tract. 3. c. 5. num.  
7. & alii apud ipsos.* Ratio est. Quia qui vult se  
exponere periculo peccati mortalis, is peccat  
mortaliter: sed qui vult committere omnia veni-  
alia, vult se exponere proximo periculo peccati  
mortalis, cum venialia sint dispositiones ad  
mortale: ergo. Unde celebre dictum D. Augustini  
*tract. 12. in Joann. minuta plura occidunt.* D.  
Thom. *suprà art. 4.* dicit, esse intelligendum dis-  
positive.

Benignior tamen & probabilior videtur op-  
posita sententia, talem, per se loquendo, adhuc  
non excedere culpam venialem. Ita Granada,  
Salas, Castropalaus *to. 1. tract. 2. disp. 2. p. 2. q. 3. n. 5.* alii cum Tambur. *l. 1. c. 1. §. 4. n. 12.* Ratio  
est. Quia malitia actûs interni sumitur ab obje-  
cto prout proponitur à ratione: sed objectum  
hujus internæ voluntatis sunt solum omnia venia-  
lia, & nulla alia malitia proponitur à ratione: ergo  
&c. Neque verum est: venialia esse ita proxima  
dispositiones ad mortale, ut quis volendo multi-  
plicare venialia semper debeat vel possit certum  
velle aliquod mortale. Videmus enim plures, qui  
de venialibus non multùm curant; ac quoad mor-  
talia

talitatem vel ipsum nomen abhorrere, & re ipsa diu abstinere. Certè durum est peccati mortalis damnare illos, qui verbis & factis significant, se hoc uno esse contentos, non peccare mortaliter; ceterum de venialibus non multum laborare. Ergo per se loquendo non est damnandus peccati mortalis, qui vult omnia venialia committere, hoc ipso, quo efficaciter vult abstinere à mortalibus. Excipienda tamen sunt venialia illa, quæ in certa materia, luxuriæ præsertim, reverà sunt dispositiones proximæ, proximùmque inducunt periculum ad mortale. Apertissimum enim esset libidinis mortalis periculum, si quis ex proposito admitat, quasvis confabulationes, aspectus, tactus &c. quoties de se veniales sunt. *Et Sanchez lib. 6. Moral. l. 4. num. 20.* bene arbitratur peccare mortaliter Religiosum illum, qui haberet propositum nunquam parendi vel abstinendi ab ullo actu prohibito in Regula, vel à suo Superiore, nisi præcipiatur, vel prohibeatur sub mortali. Quæ enim tunc facies Religionis foret? Vide *Bassium in forib. v. peccatum. n. 8.* Denique dictis contraria dicta D. Augustini intelligenda sunt, vel per accidens ratione periculi, quod subesse potest: vel per se in sensu Assertionis sequentis.

### ASSERTIO VI.

**P**eccata venialia multiplicata tandem mortale efficiunt, quando habent inter se moralem connexionem ratione materia concrecentis vel effectus alicujus causati sub aliqua una directa, vel indirecta intentione. Ita cum aliis *Sanchez lib. 1. Moral.*

*Moral. c. 4. n. 10. Et communissima doctrina, etiam Scoti in 3. d. 38. q. 1. Ubi dicit: Num mundanum jocosum vel officiosum a Pralato vel Doctore prolatum non esse mortale sed frequentatum propterea, quod tunc pereat ejus Authoritas in decernendo, vel judicando.*

## EXPLICATIO.

**44** Ratio est. Quia quamvis sola multiplicatio venialium per se non possit variare rationem peccati venialis, ut dictum est, tamen per accidens, ex circumstantia specialis connexionis vel conjunctionis moralis in materia vel effectu causato, peccatum, quod alioquin ex genere suo foret veniale, hic & nunc in individuo mortale fit, dummodum accedat advertentia, & intentio directa, vel indirecta circa illam materiam vel effectum. Juxta sequentes Regulas.

## REGULA PRIMA.

**45** Peccata venialia multiplicata ratione materiae vel effectus fiunt mortale, quando fiunt ex directa principali intentione congregandi notabilem quantitatem sufficientem ad mortale, aut causandi effectum mortaliter malum. E. gr. Qui furtis repetitis semper furatur quid modicum, ne tantum notetur, sed ex intentione corripendi magnam quantitatem, & inde ditescendi, is primo, & lingualis furtis peccat mortaliter. Omnes cum Lellis l. 2. c. 12. dub. 7. Sanchez l. 7. Mor. c. 21. Layman. l. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. num. 6. Lugo disp. 16. sect. 3. de Just. & eademque erit ratio quoad effectus causati.

Ut si quis intentione principali proponeret violare jejunium, vel festum, ne tamen notetur, vellet repetitis vicibus semper modicum comedere vel laborare &c. Ratio est. Quia qui habet propositum proximo nocendi in re gravi, peccat mortaliter: & media semper participant iniquitatem finis intenti: at qui talis habet & retinet semper propositum nocendi proximo in re gravi; & singula furta minuta procedunt ex illo proposito tanquam ejus continua executio: singulaque tanquam media ordinantur ad acquirendam rem alienam notabilem, ut finem mortaliter malum: ergo talis singulis furtis minutis peccat mortaliter: non tamen committit tot distincta furta mortalia sed unum tantum. Quia omnia furta minuta simul sub una intentione principali uniantur tanquam continua una executio illius intentionis levis.

Quare judica, mortaliter peccasse eum, qui menturas, & pondera falsificando modicè, vino equam, aliisque mercibus deteriozem materiam miscendo &c. notabile lucrum collegit: qui alienas vineas circumcursando uvarum multitudinem congregavit &c. Quia in his casibus unum est malignum propositum circa objectum grave & mortale. Non autem ita facile judicabis mortaliter peccasse eum, qui hodie ab uno non ita diu duos pacios furatus est, & absumpsit, ac deinceps abstinere proposuit: nihilominus post aliquot dies iterum nactus occasionem duos pacios eidem vel alteri abstulit, & eodem modo saepius post

post propositum abstinendi, ad summam unius  
 v. g. floreni pervenit. Quia talis non unum pro-  
 positum retinet, quod sæpius revocavit: unde nec  
 unum peccatum committit, sed plura dissoluta  
 venialia, nisi denique perveniat ad quantitatem  
 valde notabilem & damnosam, v. g. duorum ve-  
 trium florenorum. Tunc enim peccatum mortale  
 non effugit: si non ratione ablationis, quia forte  
 non advertit, saltem ratione injustæ detentionis  
 quam utique aliquando advertere debebit: *modum*  
 videbis amplius.

### REGULA SECUNDA.

**46** **P**eccata venialia multiplicata tandem efficiunt  
 mortale ratione effectus vel materiae concre-  
 scentis, ex sola saltem indirecta intentione con-  
 nuandi veniale usque ad materiam notabilem, vel  
 effectum mortaliter malum. Exemplum rursum  
 notissimum in furtis. Qui successivè repetitis ve-  
 cibus furatur quid modicum, v. g. singulos dena-  
 rios, pacios &c. absque quidem prævia intentione  
 congregandi magnam quantitatem, attamen ad-  
 vertens tandem concrefcere notabilem summam  
 domino causaturam notabile detrimentum, quæ  
 nimirum simul ablata sine controversia sufficeret  
 ad peccatum mortale: v. g. unius ducati &c. eo  
 statu, si sciens & volens insuper aliquid modicum  
 auferat complens vel excedens illam quantitatem,  
 etiam unicum cruciferum vel denarium, ipso illo  
 ultimo furto minuto peccat mortaliter: seu ipsum  
 illud ultimum furtum minutum, alioquin *secundum*  
*secun-*

secundum se sumptum veniale, hic & nunc ratione conjunctionis volitæ cum præcedentibus est peccatum mortale, aut potius, & rectè sonantiùs loquendo: *Intentio illa, seu voluntas continuandi furtum per illud minutum usque ad quantitatem notabilem, lethalis est. Quia tunc censetur consentire in totum damnum,* ( sunt verba formalia auto & cedro digna Reverendissimi & Amplissimi Domini D. JOANNIS MELCHIORIS Episcopi Domitiopolitani, Herbipolensium Pro-Episcopi, Viri virtute ac doctrinâ præstantissimi, dum ante aliquot annos Tyrones meos, quæ ejus est erga Religiosos, pia humanitas, infatigato & celeberrimo illo Senatu Ecclesiastico Præses, ipsos personaliter pro Cura examinaret. ) Ratio ergo est. Quia illud opus, quo injustum notabile damnum proximi completur, peccatum mortale est: atqui per illud ultimum furtum, quo quis advertit, se pervenire ad summam notabilem, v. g. furandò ultimum pacium complementem Talerum vel ducatum respectivè, completur notabile damnum proximi: ergo illud ultimum furtum mortale est, non quidem secundum se absolutè, sed cum habitudine ad furta præcedentia consideratum. *Est jam communis doctrina. Sic enim Major, Medina, Sotus, Valentia, Vasquez, Molina, alii cum Sanchez l. 7. Moral. c. 21. n. 5. Laym. supra c. 1. n. 6. Lugo supra sect. 3. Quamvis contrarium sentiant Navarrus c. 17. n. 139. Lessius sup. dub. 8. Marchant. Tribun. p. I. tr. 3. tit. 1. q. 5. & alii negantes, ullum ex illis furtis minutis fuisse peccatum*

catum mortale : quamvis fateantur, talem sub mortali teneri restituere illam quantitatem notabilem per furta minuta congregatam : ideoque peccare mortaliter detinendo tantum, non vero auferendo unquam: quod ipsum quidem posse fieri Regula sequenti patebit. Sed hic interim confirmemus Regulam datam. Talis ergo secundum omnes sub mortali tenetur restituere summam notabilem furtis minutis congregatam ; non quidem sub mortali totam illam summam, sed illam solum partem, quæ constituit quantitatem notabilem in grave damnum proximi, quæque restituta non retinetur amplius quantitas notabilis cum gravi damno proximi : secundum communem DD. apud Lugo. cit. n. 41. Atqui quod sub mortali restituendum est, etiam sub mortali non auferendum erat: seu: cujus retentio est mortalis, illius etiam ablatio fuit, vel saltem potuit esse mortalis : ergo si illa pars complens summam notabilem sub mortali restituenda est, eandem autem fuit, vel saltem potuit esse mortale, nisi tunc inadvertentia excusasset.

EXEMPLIS aliis Regula declaratur. I. Potest quis comedendo vel bibendo pretiosa aliena, peccare mortaliter: ubi sanè ultima buccella, vel haustus secundum se non est quid grave, tamen cum præcedentibus constat damnum & peccatum grave. Idemque est, de ultimo haustu inebriante. II. Clericus eodem die interruptis vicibus omitens plures Psalmos vel Partes secundum se non notabiles in Officio divino, quæ tamen simul sum-

pte conflent quantitatem notabilem, ultimâ om-  
 miffione, etfi secundum fe modicâ, peccat mor-  
 taliter. III. Si eodem die Jejunii, iteratis vicibus  
 modicum quid extra refectionem comedas, quæ  
 tamen modica simul fumpta constituent quantita-  
 tem notabilem fufficientem ad transgressionem  
 mortalem jejunii: aut fi eodem die Feflo, distin-  
 ctis vicibus per modicum tempus, v. g. dimidium  
 horæ, ferviliter labores, ut tandem concrefcant  
 tempus notabile fufficiens ad mortalem violatio-  
 nem Fefli, v. g. trium, vel quatuor horarum, dum-  
 modò id advertas, tandem peccas mortaliter, eti-  
 am modicum fumendo, vel laborando. Quia tunc  
 diverfæ illæ parvæ violationes morali connexionem  
 concrefcences complent unam notabilem quanti-  
 tatem: ut notat etiam Sanchez lib. 1. Moral. c.  
 4. n. 8. Portellus verb. Fefli dies. n. 2. in addit.  
 IV. Qui fæpius modicum excedit limites tempe-  
 rantie in cibo vel potu, & tandem advertit neces-  
 fariò graviter lædendam valetudinem, etiam mo-  
 dico infuper excessu, ratione effectûs feu notabi-  
 lis damni caufati, mortaliter peccat. Simili ratio-  
 ne, qui fæpius iterat mendacia jocofa, leves detra-  
 ctiones, levia convitia, vexatiunculas &c. adver-  
 tens tandem alium, vel alios excitandos ad gra-  
 vem iracundiam, jurgia, lites, fcandala &c. tan-  
 dem aliquo ejusmodi actu, etfi secundum fe levi &  
 veniali, peccabit mortaliter, ratione mali effe-  
 ctûs caufati. Vide Sanchez loc. cit. & alios apud  
 ipfum.

DICES I. Multiplicata venialia nunquam fa-  
 cium

G g 2

ciunt mortale. *Distinguo.* Si sint omnino disparata absque omni connexione ad invicem in materia vel effectu causato, ut in exemplis allatis *assertione precedentis*: concedo. Si autem sint ita connexa; ut in exemplis hactenus allatis: nego. Neque etiam in proposito, peccata venialia ut talia in individuo faciunt unum mortale: sed ultimum furtum, v. g. quod secundum se solum esset veniale, hic & nunc adjectum precedentibus fit mortale, quod valde notandum est. II. Ultimus actus furti, v. g. est ejusdem rationis cum precedentibus: ergo venialis tantum, sicut actus precedentibus. *Distinguo antecedens.* Est ejusdem rationis ex objecto & per se: concedo. Ex circumstantia, & per accidens: nego. Ratione enim connexionis cum precedentibus actibus, habet ultimus actus aliquam circumstantiam complementem scilicet materiam, & damnum notabile, quam non habent actus priores. III. Ultimum furtum non plus nocet, quam precedentia: ergo omnia sunt tantum venialia. Iterum *distinguo antecedens.* Non plus nocet absolute secundum se sumptum: concedo. Non plus nocet respectivè, & ut est conjunctum cum furtis precedentibus: nego. Nam ultimo furto minuto auferitur integer florenus vel ductatus, qui non ablatum erat furtis precedentibus. IV. Quomodo ergo salvabuntur famuli Magnatum continuò auferentes, malè impendentes, vel consumentes aliqua modica, & nunquam restituentes? *Respondet:* illos excusari à mortali & onere restitutionis, partim per inadvertentiã: partim

quia Domini magnates in his non censentur valde  
inviti, nec suos famulos tam strictè obligare velle  
ad tam exactam administrationem rerum suarum  
etiam quoad modica. Alioquin illi peccant, sicut  
alii homines.

PETES. Quid si quis post notabilem quanti-  
tatem minutis furtis comparatam usque ad pecca-  
tum mortale commissum, rursus incipiat & per-  
gaturari modica? Sic distinguendum est cum  
*Lugo supra cit.* Aut enim talis nondum pœnituit  
de furtis præcedentibus, nec restituit, vel restituere  
proposuit, & sic denuò furandò modica ab eo-  
dem, peccat mortaliter toties, quoties. Quia tunc  
habet explicitam, vel implicitam voluntatem au-  
gendi damnum proximi, & retinendi notabilem  
quantitatem rei alienæ semper majorem & majore-  
rem. Aut talis jam pœnituit de furtis præceden-  
tibus, & vel defactò restituit, vel restituere, datâ  
occasione, proposuit: & tunc denuò furando mi-  
nuta peccat tantùm venialiter, donec rursus at-  
tingat quantitatem notabilem sufficientem ad  
mortale furtum. Quia tunc per pœnitentiam, &  
restituendi propositum abruptit continuationem  
furtorum præcedentium cum sequentibus, & se-  
quens materia non concrevit amplius cum præ-  
cedenti: sed manet per se sola, & venialis, donec  
rursus concrevat cum alia materia sequenti.

### REGULA TERTIA.

¶ Super hoc singulare est in materia furti vel  
injurie, quòd ex pluribus furtis minutis, &

Gg 3

singu-

singulis defactio venialibus tantum, tamen accre-  
 scente notabili quantitate sufficiente ad peccatum  
 mortale, adhuc exurgat peccatum mortale, ratio-  
 ne injuste detentionis tantum. Ita nimirum: ma-  
 licet quis furtis minutis sapissimè repetitis usque  
 ad notabilem summam, quia nunquam recordatur  
 precedentium furtorum, non advertit vel atten-  
 dit ad accrescentem quantitatem, singulis furtis,  
 etiam ultimo solum peccaverit venialiter, & nun-  
 quam mortaliter ratione ablationis: postea tamen  
 advertens aliquando quantitatem notabilem ag-  
 gregatam, peccabit mortaliter ratione injuste de-  
 tentionis, seu non restitutionis rei alienae. *Commen-  
 nis & omnino certa doctrina apud Sanchez supra*  
 & fatetur *Navarrus c. 17. n. 139.* et si alibi op-  
 positum tenuerit. Ubi adverte, in furtis duo esse.  
 Unum est injusta ablatio rei alienae invito Domi-  
 no: alterum est injusta detentio, seu non restituo  
 rei alienae invito Domino. Et quamvis per se  
 & ordinariè ablatio & detentio ejusdem rei ali-  
 enae constituent unum numero peccatum, cum ut-  
 rumque per modum unius intendatur: nemo enim  
 vult rem furari, quin saltem ad tempus eam  
 detinere, ejusque usu ac possessione dominium spo-  
 liare intendat: per accidens tamen quoad ratio-  
 nem peccati saepe multum differunt. E. g. Accipit  
 quis mutuam à domino volente certo tempore  
 restituendum: abstulit gladium furioso ad impe-  
 dienda damna aliis inferenda, postea finito terro-  
 re, vel furore, repetenti domino non restituit: is  
 non peccavit auferendo: retinendo autem peccat  
 mortale



ribus furtis minutis, etiamsi omnia & singula quoad ablationem fuerint venialia, tamen accretente materiâ notabili sufficiente ad mortalem, ratione injustæ detentionis exurget peccatum mortale, & obligatio restituendi sub mortali.

### REGULA QUARTA.

48 **F**urta minuta ac venialia multiplicata prædictis modis constituunt peccatum mortale, cum obligatione restituendi sub mortali, non tantum, cum fiunt ab eodem eidem, quod hostis- nus suppositum est, sed etiam cum fiunt ab eodem diversis dominis. Et quidem quoad primum modum, cum quis ex directa & formali intentione ditescendi, seu notabilem summam congregandi, furatur à diversis modica, videtur esse extra controversiam. Quia talis intentio est peccatum mortale, ex qua singula sequentia furta minuta, tanquam continua illius intentionis executio, eandem malitiam mortalem participant: & contra domini quàm maximè censentur inviti. Quoad secundum verò modum, cum quis absque expresso modi intentione principali, magnam quantitatem congregandi, à diversis furatur modica usque ad notabilem summam scienter concrecentem: & quidem, *10. Medina, Angelus, Navar. cit. l. 17. c. 139. Toleros l. 5. c. 16.* alii putant, talem nunquam peccare mortaliter. Contrarium tamen longe verius decet DD. communiter *Lessius l. de Justitia c. 12. dub. 7. Molina to. 3. disp. 689. Sanchez l. 7. Moral. c. 21. Layman l. 3. p. 1. c. 1. num. 6. Lau-*

*pp. cit. disp. 16. Sett. 3. §. 1.* Ratio est. Quia licet talis minuta furando à diversis dominis non inferat notabile damnum singulis seorsim & actualiter; infert tamen notabile grave damnum omnibus collectivè, seu ipsi Communitati, vel Reipublicæ, saltem habitualiter, quatenus nimirum, si talis modus furandi non esset graviter prohibitus maxima sequerentur incommoda & inconvenientiæ contra Bonum commune, & indemnitàtem civium. Si enim cuilibet citra peccatum mortale, liceret distendere tali modo, seu furtim magnam copiam congregare ex alieno, quæ foret facies Reipublicæ? qui mores? quæ securitas? Deinde sequeretur, posse aliquem sine peccato mortali in venditionibus uti ponderibus & mensuris modicè falsificatis, & diminutis: quod tamen in omni Republica bene instituta meritò gravissimè prohibitum est. Item sequeretur, non peccare mortaliter eum, qui ex granario, vel cellario totius Communitatis furaretur magnam quantitatem; aut qui sine justo titulo tributa seu gabellas, etsi minutas exigeret à tota populosa Communitate: &c. Quia talis singulos non graviter, sed leviter admodum læderet: quæ tamen omnia sunt absurdissima: ergo, &c.

Cæterum in favorem ejusmodi furuncolorum aliquà hinc advertere debes. I. Universaliter, sive quis furtis minutis furetur ab eodem sive à diversis, ad contrahendum peccatum mortale majori quantitate opus est, quam illà, quæ simul ablata constitueret peccatum mortale. Quia scilicet Domini non sunt ita invitati ad furta successivè, seu per

intervalla facta, quàm ad furtum rei notabilis simul factum; & ordinarie non tantum damnus inferitur. Vide *Molinam, Sanchez, Lugo*.  
 II. Major item requiritur quantitas, si plura furtiva minuta diversis ac pluribus contingant, quàm si eidem. Quia tunc omnes & singuli non tam grave damnum patiuntur actualiter, & communiter minus inviti sunt. *Molina cit. disp. 689.* derogant duplò, vel adhuc majorem quantitatem requiritur in furtis diversis dominis, quàm uni factis. *Layman ibid.* à mortali excusat eum, qui à triginta mercatoribus singulos pacios auferret, etsi uni ablati. *Sane* dubio mortalis quantitas essent. III. Eò etiam major requiritur quantitas in furtis factis sive eidem sive diversis, quantò fiunt per majora temporum intervalla. Quia eò magis deficit unius domini connexio, & domini minus inviti consentunt. Unde licet florenus v. g. simul, vel successivè brevi tempore ablati constitueret peccatum mortale, puta respectu mediocriter divitis: tamen successivè per longum tempus, utpote duorum, vel trium annorum, surreptus, non concrevit in peccatum mortale. Et si pluribus, tanto temporum intervallo, absque ditescendi proposito, talia furtiva minuta fierent, etiam duo, vel tres aurei non sufficerent ad peccatum mortale. Quæ tamen omnia prudentis & probi viri, vel Confessarii judicio relinquuntur. De quò latè *Molina & Sanchez citati.*  
 IV. Addit *Joannes Medina*, & probabile censet *Lessius, cit. dub. 7.* etiam requiri, ut taliter successivè, & præsertim à pluribus auferens non sit valde

valde pauper, & egens: alioquin excusabitur semper a mortali peccato, & restitutionis debito.

Dubium incidens.

Quid de furtis minutis factis eidem à diversis.

Exempli gr. Plures transeuntes vineam, singuli paucos botros decerpunt: plures intrantes cellam vinariam, singuli modicum furantur vinum, vel furtivè bibunt: plures famuli eidem Domino modicam pecuniam subtrahunt &c. ita tamen, ut omnia simul sumpta conficiant quantitatem notabilem in grave detrimentum Domini. Hic certum est, si plures communi consensu, consilio, cooperatione ita furentur, singulos peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem in solidum: scilicet in defectu aliorum. Quia singuli sunt causa moralis totius damni. Quòd si unus primus incipiens ejusmodi furtum minutum, solo exemplo suo aliis causa fuit, ut alii grave damnum inferrent, jam mentio facta est *suprà num. 23.*

Quaestio ergo & difficultas solum est. Utrum, quando quis sciens alios quòque modica furari, vel turatos esse, nihilominus & ipse modica furatur, absque omni consensu vel influxu in furta aliorum, peccet mortaliter & restituere teneatur suam partem, ex eò, quòd advertat, suo, & aliorum furtis notabile damnum proximo inferri? Affirmativa sanè communior est sententia. *Navarr. Medina, Major, Corduba, Angelus, Sayrus, Vasquez, & alii cum Molina supra, Filiucio tract. 31.*

c. 10. n. 249. eò quòd talis sciens cooperetur ad grave damnum proximi.

Probabilior tamen videtur sententia opposita negativa Less. lib. 2. c. 12. dub. 9. Sanch. lib. 7. Moral. c. 21. n. 22. Tanner. to. 3. d. 4. q. 6. dub. 5. Lugo d. 16. sect. 3. §. 2. n. 55. Diana p. 2. rr. 17. r. sol. 42. Ratio est. Quia talis nec infert grave damnum ratione sui furti secundum se, quod exiguum, & veniale esse supponitur: nec ratione sui furti ut conjuncti cum furtis aliorum: quia suo furto nullo modo cooperatur ad furta aliorum: & grave nocumentum ex omnibus resultans non causatur per tuum furtum, sed per furta aliorum, quibus nullo modo causa fuisti. Alioquin sequeretur; quòd posito ad furtum mortale sufficere vnginti pacios, & Titius jam abstulisset octodecim, tu autem conscius, absque ulla cooperatione auferres solum duos, peccares mortaliter, & Titius venialiter tantum: quo nihil absurdius: ergo eo casu non peccas mortaliter, nec consequenter sub mortali obligaris ad restitutionem aliquam. Aliud est si unus & idem tali modo furetur, tunc enim ipse solus totius damni causa est. Aliud etiam est de eo, qui jam ægrotum, vel vulneratum, alioquin supervicturum, denuò leviter vulnerans occidit: quia infert gravissimum detrimentum, quòd moribus, vel vulnera priora non intulissent.

Fundamentum ergo oppositæ sententiæ, seu principium illud: *Omnis scienter cooperans ad grave damnum alterius, peccat graviter*: verum solum est, quando quis influit in totum damnum

moraliter, jussu, consilio, concursu &c. aut per se  
graviter damnificat, non item si leviter tantum.

CAPUT VI.

DE

SUBJECTO PECCATI,

Et Peccatis maximè internis.

SUMMARIUM.

- 1. Subjectum peccati triplex assignari solet.
- 2. Formaliter & primariò esse potest in voluntate,
- 3. Eaque sola.
- 4. Secundùm rationem, vel portionem superiorem.
- 5. In aliis verò potentiis, & membris secundariò solum.

Subjectum peccati triplex assignari potest.

I. Subjectum peccati ultimum, seu denominationis, est ipse homo seu persona peccans.  
 II. Subjectum peccati immediatum seu inhæsi-  
 onis est potentia hominis eliciens seu exercens a-  
 ctum peccaminosum. III. Subjectum intrinse-  
 cum, seu potius materiale peccati est ipse actus  
 peccaminosus, unde nata est alia celebris divisio  
 peccati in peccata cordis, oris, & operis, de qui-  
 bus infra. Modò pro fundamento dicendorum  
 sit

ASSERTIO I.

Peccatum formaliter & primariò potest esse in  
voluntate sola secundùm rationem vel portio-  
nem